A R. Patri praep. Generali Societatis Jesu
obsequium auctoris
qui sua nuper perfecit studia in [illegible]

CANTICI CANTICORUM

illustratio

Augustino Casazza

AUCTORE

CANTICI CANTICORUM

ILLUSTRATIO

שוש אשיש ביהוה תגל נפשי באלהי

כי הלבישני בגדי ישע מעיל צדקה יעטני

כחתן יכהן פאר וככלה תעדה כליה

Isaiae lxi.

CANTICI CANTICORUM

ILLUSTRATIO, AC TRANSLATIO

de Hebraica littera in Latinam

NOTATIS UBIQUE DRAMATIS

INTERLOCUTORIBUS

cumque Dissertatione

ARCHAEOLOGICA, ET EXEGETICA

Augustino Casazza auctore.

> Mutationes personarum repentinae, et omnino ex improviso inveniuntur in Sacris Scripturarum Libris, et si quis advertat plenae sunt paginae divinae.
>
> S. August. in Ps. xliv.

NEAPOLI
EX TYPOGRAPHEO FIBRENIANO

MDCCCXLVI

IN CANTICUM CANTICORUM

DISSERTATIO

INTRODUCTIO

In Cantico canticorum oportet Interlocutorum dicta bene intelligi, non sine auxilio Interpretum. Dissertationis scopus, atque partitio.

Cogitanti mihi saepenumero Sacri Voluminis librum extare nullum, qui ad suos investigandos, scrutandosque sensus indoctorum aeque ac sapientum corda allicere magis, quam Canticum canticorum videatur; meus pari desiderio compulsus animus ad perlibandum divini quid nectaris inibi latentis advigilavit. At cum varias in eo–

dem alloqui personas constet, cumque suorum veneres, patriamque ἐνεργίαν sermonum partim longa vetustas oblivione exoletas, partim obscuritas orta ex nulla interloquentium praenotatione surripuerit; eo totam ingenii aciem intendi, ut personas, dialogique scenas distincte vestigarem Criticae, ac Sacrorum Interpretum ope adjutus. Quod equidem in publicam omnium cessurum utilitatem ratus sum, id ipsum confirmantibus D. Augustino, cujus auctoritas in libelli hujus fronte praefertur, et D. Hieronymo. « Personarum enim, is inquit (a), mutatio, et maxime in Prophetis, difficilem intellectum facit: quae si suis locis, et causis, temporibusque reddantur; plana fient, quae videbantur obscura ». Et porro licet aliquam revelatae Scripturae partem interpretaturo cuique utile foret adnotationes, et placita Eruditorum praenoscere, quo tutius in explicando procedatur; ad Canticum autem canticorum ea universa praemitti necessario poscuntur. In contrarium quippe abeuntes illustres doctrina viri, eo usque contenderunt, ut hunc librum ad coelum tenus alii laudaverint; quidam contra, nac cum bono Homero dormitantes, amatoriae cantionis profanum omne sibi sapere effutiverint. Cui damno occurrere Orthodoxus quicunque tenetur ea praecipue de causa, qua Tridentinae Synodi Patres acta Pontificum, et Conciliorum Laodiceni, Florentini, et Carthaginen-

(a) In Jerem. VIII. Vide quoque Origenem in Cantico.

sis Tertii (a) recordati, Canticum canticorum in sacro Bibliorum canone recensuerunt. Ipsi nihilo secius librum hunc inter protocanonicos Hebraei venerantur, solumque annis, et sanctitate probatos viros legere sinunt. Cui iterum accedit totius Ecclesiae Apostolica traditio, accesserunt Patrum Graecorum, atque Latinorum doctae elucubrationes. Breviter interea ex immensa rerum segete colligentur, quae sunt absolute necessaria, ut recte, quam suscepi, intelligatur explicatio; hujusque operis summam ego perspicuo disserere ordine, Superis jubentibus, adnitar.

Tria igitur prae reliquis exponantur oportet: quis olim Cantici Auctor fuerit, et qua temporum occasione idem conscripserit: dicetur secundo metrica-ne, vel prosa oratione Liber constet, ejusque argumentum praecipuum, opinionesque aliquorum exhibebuntur: denique a difficultatibus objectis, nec non a Socinianorum, Anabaptistarum, Atheorumque mendaciis vindicabitur. Veniam tamen mihi Lectores omnes puto liberaliter daturos, si eos praesenti in re verbis velim admonitos docti Richardi a S. Victore, cujusque testimonio concludam. « Nec illud tacite praetereo, inquit ille (b), quod quidam quasi ob reverentiam Patrum nolunt ab illis omissa

(a) Laodic. Canone 59. Carthag. III. can. 47. Florent. in Institut. Armenor. Et Pontif. Innocentius I. epist. 3. cap. 7. Gelasius anno CDXCV. etc.

(b) In Visionem Ezech. prologo.

attentare, ne videantur aliquid ultra majores praesumere. Sed inertiae suae ejusmodi velamen habentes otio torpent, et aliorum industriam in veritatis investigatione, et inventione derident, subsannant, exsufflant. Sed qui habitat in coelis irridebit eos, et Dominus subsannabit eos: nos autem a Patribus pertractata cum omni aviditate suscipiamus, et ab ipsis omissa cum omni alacritate perquiramus, et sagaciter inventa cum omni liberalitate in commune proferamus, ut impleatur quod scriptum est; pertransibunt plurimi, et multiplex erit sapientia ».

PARS PRIMA

Cantici auctor, et occasio, qua conscriptum id fuit, inquiruntur.

CAPUT I

Libri Auctor ex Cantici epigraphe, et ex historia Salomon fuisse probatur.

Cum itaque legentibus occurrat prior Cantici versus, seu dici malit epigraphe שיר השירים אשר לשלמה ejus perpendenda significatio est, et vis vocum אשר לשלמה, quae libri Auctorem produnt. Est quippe ל praefixum signando casui, quod vertitur *ad, circa, inter, abs, de* ex praepositione אל decurtatum (a); et in genere tribuitur rei, quae alterius commodo, obsequio, modificationi praestandae concipitur; aut unius ab alio possessore, vel opifice dependentiam notat. Bifariam idcirco Grammatici referunt dativo scilicet, ac possessivo casui; iidemque sunt in causa, quare praesentis vi

(a) Exod. VIII, 21.

textus considerata dicitur hic exprimi genitivus (a). Et primo quia in titulis Psalmorum, ubi ipsamet particula frequens occurrit, fere semper pro genitivi nota explicatur: sic Psalmo VII שגיון לדוד, et Psalmo CVIII שיר מזמור לדוד, et Psalmo CXXII שיר המעלות לדוד Et secundo namque Hebraei casibus, quemadmodum Latini, Graecique habent, proprie carentes, hac particula absolute posita possessivum significant, uti (b) שנה לחיי נח, et (c) באחד לחדש, atque חרב ליהוה ולגדעון (d). Tertio tandem ex Relativo אשר praeposito, quod eamdem vim habet ac si extaret conjunctum, uti alibi reperire est; sic in eodem Cantico (III, 7) מטתו שלשלמה, ubi asserit Glassius (e) ש genitivum casum denotare si post se ל habuerit. Porro cum particula של teste Gussetio (f) fuerit « vocula Hebraeis usitata pro articulo genitivi casus », etiam huc usque apud Rabbinos vices genitivi obit, juxta antiquissimam analogiam, qua in pronominibus personalibus שלי, שלנו, שלכם, שלו, שלהן idem casus exhibetur.

Quod si historiam, vel eruditos consuleris invenies

(a) Del Rio Isagoge ad Cant. Cap. 1. Sect. 2.

(b) Gen. VII, 11.

(c) Num. XXIX, 1.

(d) Jud. VII, 20. Et sic Gen. XXXII, 18. Mich. IV, 8. Ezech. X. 3. etc.

(e) Lib. 4, Philolog. tract. 1.

(f) In Lexico ad vocem citatam.

quidem (a) carmina mille et quinque, parabolas quoque ad numerum trium millium supputatas condidisse Salomonem. Libri vero qui extant apud nos, Regique isti sine ulla dubitatione tribuuntur, Ecclesiastes sunt Proverbia, et Canticum canticorum, in quo nempe Ejus nomen, verbaque de se fieri saepissime constat (b). Quamobrem secundum ternarium celeberrimarum harumce scriptionum suarum numerum Trinomius vocatur a Hieronymo, qui scripsit (c): « Tribus nominibus vocatum fuisse Salomonem Scripturae manifestissime docent; *Pacificum* id est שלמה, et ידידיה (d) hoc est *Dilectum Domini*, et quod nunc (e) dicitur קהלת id est Εκκλησιάστης ».

Haud profecto dubitare licet de Cantici auctore cum receptum sit Sacros omnes Libros in duplici classe dispesci, in eos videlicet non habentes titulum, et alios titulo insignitos, qui ad hoc praecise ponitur ut operis materia, vel auctor cognoscatur. Qua in sententia firmius inhaerendum est, quia ut infra dicetur, cum ipse Salomon carminis tanti materia adaequata nequeat fuisse; ejus tantummodo nomen in fronte liber gessisse dicendus est, ut suus auctor pateret.

(a) 3. Reg. IV, 32.

(b) Salmeronis Commentarii in Evang. Historiam Proleg. 9. Quinquagena 1. canone 3. Vide etiam infra Partis tertiae Capp. I. et IV.

(c) In Eccl. prologo.

(d) 2. Reg. XII, 24, et 25.

(e) Eccl. I, 1.

CAPUT III

Rex Salomon, qua aetate priores inivit nuptias, Canticum composuit. Illustrantur loca Cantici (VI, 8 etc. et VII, 10).

Qua porro aetate ad eam scriptionem Sapientissimus Princeps animum appulerit Historici quidem non tradiderunt: mihi tamen rationabiliter persuadeo hunc primogenitum extitisse Sapientiae obtentae fructum novissima in juventute, qua priores iniit nuptias. Principio enim regni felicissimo

« Flumina jam lactis, jam flumina nectaris ibant », atque inter omnia Salomoniae mentis portenta hic Liber scientiae divinitus infusae habitum humano nondum contactu turbatum, fervoremque aventis animi arguit abscondita recenter haurientis mysteria. Revera philosophice loquendo sicuti aër, quo fonti lucis Soli vicinior est, eo lucidior apparet; ita Salomonia mens, ut statim admisso lumine coelitus accensa est, atque foecundata; ejusdem speciem luminis primo foeta conceptui fidelius, pleniusque communicavit. Quod sane sub regni sui initiis evenit.

Ecclesiasticus narrat (XLVII, 18) Salomonem « in cantilenis, et proverbiis, et comparationibus, et inter-

pretationibus miratas fuisse terras »; cui S. Irenaeus (a), atque Josephus (b) consentiunt. Quare ante caetera opera, Regem poësi se addixisse, atque istud finxisse Canticum certo conjicitur; aemulatione item allectum, quae illa vigebat aetate, qua plures, pulchrasque admodum Odas David cantandas, memoriaeque tradendas reliquit. Quibus expositis argumentis evincitur Canticum hoc, quod fuisse effectum unius Sapientiae Salomoni concessae apparebit, debuisse componi eo primo tempore, quo illius mens curis regni nondum distrahebatur in diem ingravescentibus (c), et quo ejusdem intellectus nondum profani Cupidinis tenebris, atque anxietate obruebatur (d) juxta illud Poëtae effatum:

« Carmina secessum scribentis, et otia quaerunt ». Dedit itaque Deus sapientiam Salomoni, qua in Canticis pangendis sapientior esset Heman, et Ethan clarissimis in hoc operis ministerio; porro dedit prudentiam multam nimis ad Proverbia concinnanda, quae totam oppido complectuntur moralem Philosophiam: denique ad creatorum omnium naturas bonorum enucleandam, justaque lance eorum vanitatem in Ecclesiaste pensandam, dedit cordis latitudinem; ut colligitur ex Regum actis (e).

(a) Lib. 4. advers. Haereses cap. 45.
(b) Lib. 8. Antiq. cap. 11.
(c) 3. Reg. cap. V, et sequentibus: 2. Par. a II. usque ad IX.
(d) 3. Reg. XI.
(e) 3. Reg. IV, 29. et seqq.

At contra quid in Cantico sibi volunt bis, terque repetita verba illa (VI, 8. II, 13. VII, 6.) *Una est columba mea, perfecta mea.... amica mea, speciosa mea.... decora, charissima in deliciis;* si ejus jam praeterisse juventutem primam cogitaremus? si jam conjugalem sibi aliam, atque aliam *columbam* antea dilexerit Salomon? In quo notanda sedulo est vox אחת, quae significat *unam,* et quoque *primam.* Sic Zachariae (V,7) legitur מאת אשה אחת, et Deuteronomio (XXIV, 5) נקי יהיה לביתו שנה אחת, etiam in Exodo (I, 15.) שם האחת שפרה ושם השנית פועה

Ut ergo phrasi utar Hebraica, dictio אחת mulierem adolescentiae (a) seu uxorem juventutis, a marito nempe juvene ductam ostendit: sicuti adolescentulae conjugatus vir dux juventutis vel pubertatis a Judaicis nuribus nominari consuevit: quemadmodum eos loquendi modos Prophetae interdum (b) usurpant. Quo loco abs re non erit innuere quod testati sunt quidam: Salomonem videlicet tenerum adhuc ephebum antequam decimumquartum attigisset annum, Pharaonis Filiam uxorem sibi adjunxisse. Nec obstare ideo potuit illa aetas quominus librum hunc ederet, qui cum sit totus eloquium Dei vehementer ignitum, arguit clarissime Scriptorem a Sancto Spiritu afflatum immediate; sed de-

(a) Prov. V, 18. Isaiae LXIV, 6.

(b) Prov. II, 17. Jer. III, 4. Joël I, 8. Malach. II, 14.

monstrat quoque aeternam illam Providentiam, quae ut plurimum naturae leges non turbat, sed ordinatione sua perseverare jubet, sibique omnes servire. Et ita cultissimo, eloquentissimoque Isaia usa eadem fuit ad *Proto-Evangelium* annuntiandum: ita formosissima Esthere, quae naturali Regem pulchritudine suis conciliavit Judaeis: sic etiam ardentes animos, sapiensque cor pubescentis adhibuit Salomonis ad mirabile hoc amoris suavissimi opus condendum.

Ait porro Sponsa Canticorum (VII, 10); *Ego Dilecto meo, et ad me conversio ejus:* quo in loco cum Sponso applicentur verba ועלי תשוקתו, hanc non pigeat conferre locutionem cum dictis Geneseos (III, 16) ubi uxori Hevae eadem tribuitur ואל אישך תשוקתך Atqui in Genesi postquam unus maritus Hevae conjugatus narretur, hac sententia πολυανδρία omnis expresse prohibetur, sicuti etiam tacite πολυγαμία: etenim de ejus tolerato usu noster inter alia declaravit Divinus Magister (a): *Qui fecit hominem ab initio masculum, et foeminam creavit eos: et dixit; erunt duo in carne una.... Itaque jam non sunt duo; sed una caro.... ab initio autem non fuit sic.* Quibus postremis verbis aperuit Christus mentem suam; factumque antiquum recordatus est, antequam permissio introduceretur divortii, et polygamiae (b). Ibi enim, sicuti quoque apud

(a) Matth. XIX, 4. et seqq.

(b) Concil. Trident. Sess. 24. can. 2.

caeteros Evangelistas, ipsumque Geneseos librum extat vox שְׁנֵי οἱ δύο nunquam vox *plures*. Caeterum de Monogamia essent legendi R. Jarchius (a), R. Manasse (b), Bereschit Rabba (c), et Hoornbeek (d) qui ex collatione phrasium Levitici (XVIII, 18.) Exodi (XXVI, 3.) Ezechielis (I, 9.), et Malachiae (II, 14.) etc. matrimonium apud veteres cum una tantum muliere stricto jure fieri ostendit; reliquas vero, ob plura in rem publicam derivata bona, nuptias licitas, excusatasque fuisse. Sed, quod nostra refert, cum hoc in Cantico, pariterque apud Genesim dictio תשוקה *appetitus, conversio, obedientia, concupiscentia* occurrat; nisi inficietur quis, illic significari uni solum viro addictam Hevam; atque hic admittat necesse est, ipsamet verba eatenus de Salomone praedicata fuisse, quatenus eo tempore monogamus, sive primae Uxoris consors existebat.

(a) Ad Gen. IV, 19.
(b) Lib. 3. de Resurrect. cap. 9.
(c) Sect. 23.
(d) De convincendis Judaeis lib. 7 cap. 6.

CAPUT III

Explanatur Cantici dictum (VI, 7): Sexaginta sunt Reginae, et octoginta Concubinae... *Habuit-ne Salomon prima aetate Concubinas?*

Nihil autem argui ut possit a versiculo: *Sexaginta sunt Reginae, et octoginta Concubinae, et adolescentularum non est numerus;* consulatur Hebraica veritas ששים המה מלכות ושמנים פילגשים ועלמות אין מספר, ubi non extat verbum *sunt*, neque *est.* Quare explicetur oportet modo potentiali, uti saepe aliis in locis (a), uti quoque in Geneseos libro (III, 6) *Vidit igitur mulier, quod bonum esset lignum ad vescendum, et pulchrum oculis, aspectuque delectabile* כי טוב העץ למאכל וכי תאוה הוא לעינים nempe *quod bonum esse posset.* Hoc enim frequens est in verbis Hebraicis, quibus utpote deest vox potentialis. Vel accipi debet versus istius significatio de tempore futuro, facta nempe hypothesi, quod Regiarum numerus Uxorum praeterlabentibus annis augeretur: cujusmodi acceptio communissima est in Scriptura. At si placet,

(a) Isaiae LXVI, 1. Prov. I, 9. Genes. XXVII, 33. Jud. VI, 31. Zachar. III, 2. Mich. II, 7.

sententia probetur Del-Rio capientis indefinite de quovis Monarcha potentissimo, ait enim (a). « Pastor noster Regum cunctorum opibus, fortunisque sortem antepo- nit suam. Sit aliquis, dicens, qui in gynecaeo suo clausas habeat plurimas conjuges primarias ingenuae conditionis, et plures concubinas..., plurimas vero virgines adolescentulas...: quidquid in tam multis divisim, in mea id conjuge confertim omne reperitur; quare et te o Dilecta, cunctis illis praefero, et me tali Rege beatiorem dico ». Quae explicatio plerisque arridet (b).

Alii denique sentiunt cum Sanchez, et Cornelio a Lapide (c); « Reginas hasce, et Concubinas fuisse vicinorum Regum, quae honoris causa comitabantur genialem pompam nuptiarum Salomonis cum Filia Pharaonis, ac postea saepe amicitiae, et forte homagii causa ipsum intervisebant ».

Praeterea numerus Reginarum sexaginta, et octoginta Concubinarum tempore nullo applicabilis est Salomoni, qui senex septingentas quasi Reginas, pellicesque trecentas habuisse narratur (d); tenera vero aetate qua coram Deo pie ambulavit, et qua juste vixisse infallibilis testatur historia, praeceptum Legis (e) de non multipli-

(a) Comm. ad Cant. cap. VI, 7.

(b) Luysii Legion. in Cant. explanatione loco citato. Etc.

(c) In Comm. Cant. loco cit.

(d) 3. Reg. XI, 3.

(e) Deuter. XVII, 17. Vide infra Cap. sequenti.

candis Uxoribus asservasse, dubitari non potest. Tempore dein intermedio, quod fuit Sapientiae dono, Cantici hujus scriptione, gloriaque suae majestatis in orbem totum diffusa nobilissimum, Reginas potius deligere sibi plures, quam Concubinas debuit, sicuti mox ostendam. Argumento igitur desumpto ab impossibili rursus citatum supra Cantici locum de Salomone tunc polygamo accipi nego. Et primo; eodem praefinito annorum spatio ab una Augusta sibi nupta ut posset Rex progredi usque ad septingentesimam ducendam, certe plures per intervalla accepit, quam Concubinas, quarum numerus eodem praefinito tempore ab una ad trecentas excrevisse constat. Et secundo, quia illo aevo gloriosum censebant veteres non pellices exquirere, quarum liberi paternae haereditatis, dignitatisque expertes dono accepto e familia arcebantur; sed Uxores rite sibi comparare studebant, ut numerosae earum soboli et gratularentur extremam usque degentes vitam, et patrimonium quoque, suumque nomen illis haeredibus obeuntes commendarent. Tertio item; Uxores primi ordinis faciebat consensus, et solemnes nuptiae; sequioris vero ordinis conjuges concubitu fiebant, et lege marita. Quare ad illa matrimonia ingenuarum brevius tempus, licet solemnius esse oporteret, sufficiebat; atque nuptialis copulae hebdomas negligi, differrive permittebatur, quae nullo modo praetermitti poterat in desponsandis Concubinis.

Vide circa haec Drusium (a); Carthwrigthum (b); Seldenum (c); Mosem Aegyptium (d); R. Mosem Mikkozi in Libro praeceptorum magno, ubi citat Thargum Jerosolymitanum; Buxtorfii Dissertationem de Sponsalibus, et Divortiis; etc.

Denique concedendum non est, quod Salomon inde a juvenilibus annis connubia Reginarum, et Pellicum iniverit; cum juxta priscam colligamus historiam receptum Hebraeis morem fuisse, ut Uxores primo tempore se dignas acciperent, domos sibi aedificaturas, quo significatur legitima filiorum legitimorum propagatio, et jus unde appellari se Matronas, Matresque familias exigerent Uxores. Matura deinceps virili aetate solebant illi cogitare de Concubinis superinducendis: quae res initio facta est ipsis semper suadentibus Uxoribus, sive ut sterilitatem illae consolarentur suam; sive ut Virorum commodo consulerent, quorum amplexibus prohibere se biennio saltem debebant, ut lacte innocuo susceptam alerent prolem, quando forte puerperae eaedem factae fuissent.

(a) Comm. ad loca diff. Genes. cap. 65.

(b) Elect. Thargumico-Rabb. in Gen.

(c) De Success. cap. 3.

(d) Maim. Halacha Melach. cap. 4. §. 4. et Hal. Ishot.

CAPUT IV

Lex exponitur Deuteronomii (XVII, 17.) : Rex non habebit uxores plurimas. *Judaeorum affertur traditio a Thargum, et Rabbinis asserta.*

Verum meminisse necesse est praecepti Mosaici (a) ולא ירבה לו נשים ולא יסור לבבו Vulgata; *Non habebit* (et Lxx. *ὀυ πληθυνεῖ*) *uxores plurimas, quae alliciant animum ejus.* Atqui *plurimae*, vel *multae* dicuntur res, quae excedunt numerum dualem. Ergo . . .

Sed ne severior alicui fore videar, numerum aliquo modo mulierum Regi concessarum indicabo ex Judaica traditione Rabbinorum scriptis consignata. Siquidem hi Doctores unanimi pene consensu tradunt, Viro cuilibet quatuor permitti conjuges (b): Regi vero non ultra octodecim licet; quo numero universas contineri intelligunt sive Augustas, sive Concubinas: Magno autem Pontifici, (et Sacerdotibus plerumque), unam tantum Virginem uxorem concedunt (c).

(a) Deut. XVII, 17.

(b) Gemara Babylon. ad Jabimoth cap. 6. Rabbi Maimonides Hal. Ischut cap. 14. Seldeni Uxor Hebr. lib. 1. cap. 9.

(c) Vide Jo. Hoornbeek lib. 7. de convinc. Judaeis cap. 6. et Carpzovii notas ad Schikardi Jus Regium Hebr. cap. 3. theor. 9.

Quae omnia licet in Sacris Litteris haud clare exprimantur, paradoxa tamen non sunt suffragantibus Traditionibus Judaeorum jam inde a primis post Christum natum saeculis. Quare antiquissima translatio Chaldaica, et R. Salomon Jarchi ad textum Deuteronomii praecipit. « Rex non multiplicet sibi uxores ultra octodecim ». R. Moses Mikkozi (a) testatur idipsum dicens; « Magistri nostri habent id ex orali traditione in capite-Pontifex-licere Regi usque ad octodecim ducere, sive Conjuges, sive Concubinas ». R. Bechai (b) « Octodecim, ait, pro numero mulierum Davidis, quarum sex expressae sunt, duodecim vero sub repetita voce (c) כהנה וכהנה concessae intelliguntur; ecce octodecim ». R. Maimonides (d) fusius idem explicat Legis praeceptum « Rex, asserens, sibi mulieres ne multiplicet; id quod juxta oralem traditionem sic exponunt, quod ducere uxores possit usque ad decem octo tam legitimas, quam concubinas; omnium, inquam, numerus octodenarium ne excedat: quod si vel unicam illis superadderet sibi matrimonio jungendam, flagellationis reus est. Licet autem ei libello repudii aliquam earum expellere, inque locum repudiatae ducere aliam ».

Profecto istorum sententiae ipsius dictis Thalmudis

(a) In Lib. Praecept. magno part. 1 num. 222.
(b) Pars. Schophetim.
(c) 2. Sam. XII, 8.
(d) Halach. Melach. cap. 3. §. 4.

stabiliuntur (a). Verba autem Mischnae sunt; « Ne multiplicet sibi uxores ultra octodecim: atqui licuisse Ei has multiplicare voluit R. Jehuda, modo cor illius non averterent: quin ex sententia R. Simeonis etiam unica, quae cor ejus averterit, ei ducenda non est. Si ita sit, cur dicitur; *non multiplicet sibi uxores?* Quia sane multiplicandae non sunt, etiamsi fuerint velut Abigail ». Neque enim silentio praetereunda est cura, qua Rabbini Monarchae praecipientes consulunt (b). « Non sit immersus uxoriae rei, aut quamvis habeat unicam tantum, non tamen indesinenter cum ea reperiatur, veluti caeteri quidam stulti, dicitur enim (c): *Ne dederis mulieribus substantiam tuam* ». Gemara Babylonica ad supra dictam Mischnam addit. « Quod dicitur ne multiplicet sibi uxores, id intelligendum est non esse multiplicandas ultra octodecim. Unde hoc constat? ex... II Samuelis (d), I Paralipomenon (III, 1. etc:) et ex.... secundo Samuelis (e). Atqui porro extat secundo Samuelis (f) Davidem insuper duxisse uxores, et concubinas Jeroso-

(a) Vide Masseth. Sanhedrin tum in Mischna cap. 2. num. 4. tum in Gemara fol. 21. col. 1. et in Beth-Israël part. 2. fol 158. col 3. atque in Cocceji Excerptis ad Gemara.

(b) Maimonides Halach. Melach. cap. 3. §. 8.

(c) Prov. XXXI, 3.

(d) 2. Reg. III, 2. et seqq.

(e) 2. Reg. XII, 7. et reliqq.

(f) 2. Reg. V, 13.

lymis? Respondeo: Hoc ipsum fecit ad explendum numerum octodenarium ». Cui favet probando collatio Samuelis (a) cum aliis citatis textibus. Praepositam denique Mischnae doctrinam commentatus R. Obadias de Barthenora. « Tres hic, ait, memorantur diversissimae opiniones. Primus Doctor Mischnaicus opinatur licere Regi decemocto uxores vel maxime petulantes ducere; sed plures quam octodecim illas non concedi, etiamsi summe probae sint, quia sic Scriptura statuit. R. Jehuda existimat licere ei ducere octodecim utut petulantes, et plures quam octodecim petulantes non concedi; at probas, pias, et modestas posse ducere quotquot placuerint: atque ita inter hunc, et primum Doctorem dissensio est in uno. R. Simeon putat ne unicam quidem petulantem ab eo ducendam esse, sed meras probas, et verecundas, quarum tamen numerus octodenarium excedere non debet: atque ita inter hunc, et primum Rabbi dissensio est in uno; at R. Jehudae contrarius est in duobus. Caeterum sententia primi Doctoris obtinuit (b)». Quae cuncta cum retulerim, ut Lector aequi pendat Judaeorum ista in re plenam auctoritatem, nunc ad propositum redeo.

(a) 2. Reg. XXV, 16.
(b) Vide ad Mischnae citatae cap. 2. num. 4.

CAPUT V

Quo tempore fuit Salomon diademate coronatus. Regis insignia. Sponsi omnes nuptiali hebdomade Reges vocati.

Assertae enim sententiae circa Auctorem Cantici, qui adolescens, et monogamus describebatur, mire faciunt verba (a): *Egredimini, et videte filiae Sion Regem Salomonem in diademate, quo coronavit illum Mater sua in die desponsationis illius, et in die laetitiae cordis ejus.* Salomon autem bis oleo unctus in Regem ante Davidis mortem legitur (b); sed nulla uspiam redimitus corona invenitur. Nec enim regnante Patre insignia Regalia obtinuit, neque imperii quidquam: sed regni tantum designatus fuit Successor solemni tum vigente publico ritu, qui fiebat sacri super caput chrismatis unctione, quae soli Sacerdoti Maximo, Regique sacrando concedebatur (c): atque ita de Salomone ait S. Cyrillus Jerosolymitanus (d) ἔχρισεν αὐτὸν μετὰ τὸ λούσασθαι ἐν τῷ Γειὼν ὁ ἀρχιερεύς. Tunc

(a) Cant. III, 11.
(b) 3. Reg. I, 39. et 1. Par. XXIX, 22.
(c) Maimonides Hal. Melach. cap. 1. §. 8.
(d) Cateches. 21. Mystag. 3. de sacro Chrism.

processione per urbem triumphali Haeres regni equo Regis imperantis proprio vehebatur, necnon comitantibus Cerethaeis, et Phelethaeis, tubarum praeconumque plausu salutabatur. Injucundum hic non erit scire, quae meminit Matthaeus de Afflictis (a). « Legitur in historia scholastica, quod quatuor sunt insignia regalia, purpura, fibula aurea, sceptrum, et diadema: vel secundum Ugonem sex sunt insignia Regis; videlicet annulus, per quem designatur fides; armilla, per quam designatur bona operatio; sceptrum, per quod designatur justitia; ensis, per quem designatur vindicta; purpura, per quam designatur reverentia; et diadema, per quod designatur gloria ». Quapropter laetitia illa in Cantico memorata, perque Matris manus exhibitio diadematis ad primam exaltationem sub tempora obeuntis Davidis referendae sunt: nisi inter Hebraeos morem forte vigentem supponere malueris, quo Reges primo nubentes Mater ipsa imperatorio diademate obnubebat (b).

Quid vero si conjiciamus cum Eruditis pluribus, fuisse tunc positum in majorum instituto, ut Sponsi vel de ima plebecula solemni nuptiarum suarum hebdomade coronati incederent (c), et Reges (d) appellita-

(a) Constitutiones Regni Neap. lib. 1. Rubrica 20.

(b) Pineda de rebus Salomon. lib. 5 cap. 5.

(c) Isai. LXI, 10. Sap. II, 8. Gemara Jerosol. ad titulum Sota cap. 9. et Gloss. ad tit. Gitlim cap. 1. Seldeni Uxor Hebr. lib. 2. cap. 15.

(d) R. Eliezer Pirke Aboth cap. 16.

rentur diebus omnibus a prima inde Sponsae in mariti domum deductione, usque ad ultimam perambulationem, templique aditionem, ubi sacrificia eucharistica erant oblaturi? Caeterum Salomonia coronatio quanto ocyus evenisse, cum regni habenas adeptus est, necessario infertur ex eo, quod Mater memoretur Bethsabea, quam vetulam jamdiu duobus Maritis supervixisse diutius historia non admonet.

CAPUT VI

Expungentes a Cantico historicas Salomonis nuptias, et Sacyus item oppugnantur. Distributio Allegoriae ex D. Augustino.

Atque hic discutienda nunc venit aliorum sententia existimantium Canticum canticorum nulla prorsus conjugii occasione habita Salomonem in spiritu prophetico cecinisse. Illud itaque arbitrantur sicuti caetera Prophetarum oracula nulla visibili, naturalique causa; sed uno Spiritus Sancti interno afflatu compositum: quia praesertim nonnulla offendunt praedicata, quae neque homini cuiquam Regi, neque alicui e nubentium numero foeminarum conveniunt. Quare ex his quae dicuntur in Sapientiae libro (VIII, 2.): *Hanc* Sapientiam *amavi, et exquisivi a juventute mea, et quae-*

sivi Sponsam mihi eam assumere, et amator factus sum formae illius: hoc poëma nulla arrepta profana occasione conscriptum fuisse tradunt. Attamen praeclare cum Lowtho animadvertit Rosenmüllerus (a) « carminis hujus explicationem aggredienti cavendum esse, ne allegoriam in omnibus, et singulis nimium urgendo, et minutissima quaeque in partes pertrahendo hominibus cordatis, doctis perinde atque indoctis ludibrium debeat ». Respondeo itaque Salomoni quaedam non convenientia affingi consulto; ut verum ejus Libri potissimumque objectum, Christus nempe Sponsus, Sponsaque Ecclesia certo indicarentur, velo ipso allegoriae aliquantulum sublato. Qui enim, inquit Del Rio (b) sunt « Salomonis cum Sapientia spiritale connubium commenti, Mercurii, et Philologiae apud Capellam nuptias animo versabant, et doctas humanae litteraturae fabulas in sacris prophetiis parum pie, parum caute admiscent ». Memoriae tamen revocandos potius censeo versiculos illos pervulgatos Scholarum:

« Littera gesta docet, quid credas Allegoria,
Moralis quid agas, quò tendas Anagogia ».

Nihilominus occasionem Salomoniarum nuptiarum dubio secus aperiunt verba Cantici omnia universim conspecta; demonstrant tot epitheta rebus sensibilibus

(a) Lowthi de Sacr. Hebr. Poësi. prael. 31. Rosenmüller praef. in Cant.
(b) Isagoge ad Cant. cap. 3.

unice respondentia, quae Sapientiae Sponsae metaphysicae tribui nequeunt; denique Conjux, qui se nominari Salomonem saepe commemorat, imaginesque realis conjugii modo Regiae, modo pastoritiae evincunt. Hoc vero objicientibus libenter conceditur; quod Salomo cum primum pepigit matrimonium in juventute sua, jam Sapientiae dono divinitus infuso auctus gaudebat, vel statim paulo post consecutus eam fuit, priusquam Canticum canticorum concinnaret.

At enim urget Sacy (a) auctoritate fretus unius vel alterius e Graecis Patribus ambigua, quae nullum admittere Typum videtur. Nam frequentissimae adsunt, secundum ejus mentem, frequentissimae adsunt in Scriptura allegoriae, quas nullo fortuito captatas eventu, sed solummodo Deo intus loquente Prophetae moti descripserunt. Ezechiel ita Capite XVII de Nabucodonosore vaticinatur, neque una tantum vice ejus Regis nomen exprimit: sic idem Vates in descriptione abominationum Jerosolymae agit, illam sub puellae figura Deo nuptae perpetuo accusans (cap. XVI.): et sic alia mille suggeri possent exempla.

Sed contra: a Prophetis traductum argumentum nihil objectioni favet. Augustinus enim (b) duplex esse

(a) Le Cantique des cantiques avec une explication tirée des Saints Peres-Préface.

(b) De vera Relig. cap. 50.

tradit genus allegoriarum; ideoque scite vult distingui allegoriam historiae, et facti, ab allegoria sermonis, et Sacramenti. Et priori modo species est tropi Rhetorici, communisque est divinis, ac profanis scriptoribus; secundo modo efficit, generatque ut ita dicam, sensum allegoricum, et mysticum, qui tantum Sacris Litteris proprius est. In Scriptura autem accipitur allegoria, sicuti communiter accipi ab omnibus cordatis viris consuevit, id est primo modo, quem naturalis ordo, communisque intelligentia requirit, nisi adsint indicia clara, et indubia latentis sacramenti.

CAPUT VIII

Interpretandae Allegoriae doctrina Chrysostomi: analysis allegoriarum Isaiae (V.), Ezechielis (XVI, et XVII.), et libri Proverbiorum (V).

Quod probe notandum est; quia tunc hujusmodi allegoriarum declaratio vel immediate, vel alibi in eodem Prophetae libro, aut alio in loco Scripturae adnecti semper constat: quemadmodum in Isaiae vaticiniis luculenter demonstravit doctissimus Patriarca Constantinopolitanus; (a) dixit enim Ἐντεῦθεν οὐ μικρὸν καὶ

(a) D. Io. Chrysostomus in Isaiae cap. V.

ἕτερον μανθάνομεν. ποῖον δὴ τοῦτο; Τὸ πότε καὶ τίνα ἀλληγορεῖν χρὴ τῶν γραφῶν· καὶ ὡς οὐκ ἐσμὲν κύριοι τῶν νόμων τούτων αὐτοί, ἀλλὰ δεῖ αὐτῇ τῇ διανοίᾳ τῆς γραφῆς ἑπομένους, οὕτω τῷ τῆς ἀλληγορίας κεχρῆσθαι τρόπῳ· ὃ δὲ λέγω, τοιοῦτόν ἐστιν. εἶπεν ἀμπελῶνα νῦν Γραφή, φραγμόν, προλήνιον· οὐκ ἀφῆκε κύριον γενέσθαι τὸν ἀκροατὴν ἁρμόσαι τὰ εἰρημένα οἷς ἐβούλετο πράγμασιν, ἢ προσώποις, ἀλλὰ προϊοῦσα ἑαυτὴν ἡρμήνευσεν, εἰποῦσα· ὁ γὰρ ἀμπελὼν Κυρίου σαβαὼθ, οἶκος τοῦ Ἰσραὴλ ἐστι. Καὶ ὁ Ἰεζεκιὴλ δὲ πάλιν ἀετὸν καλῶν μέγαν καὶ μεγαλοπτέρυγον εἰσιόντα εἰς τὸν Λίβανον, καὶ ἀποκνίζοντα τὸ ἄκρον τῆς κέδρου, εὐδὲ ἐκεῖ ἀφίησιν ἐπὶ τῇ γνώμῃ τῶν ἀκροατῶν κεῖσθαι τῆς ἀλληγορίας τὴν ἑρμηνείαν· ἀλλὰ καὶ αὐτὸς λέγει, τίνα μὲν τὸν ἀετόν φησι, τίνα δὲ τὴν κέδρον. Καὶ οὗτος δὲ πάλιν προϊών, ποταμόν τινα σφοδρὸν ἀνάγει, λέγων, ἐπὶ τὴν Ἰουδαίαν, ἵνα μὴ ἐξῇ τῷ ἀκούοντι κατὰ τὴν οἰκείαν γνώμην ἁρμόζειν τὸ εἰρημένον προσώπῳ ᾧ βούλεται, εἶπε καὶ τὸν Βασιλέα τοῦτον, ὃν ποταμὸν ἐκάλεσε. Καὶ πανταχοῦ τῆς γραφῆς οὗτος ὁ νόμος, ἐπειδὰν ἀλληγορῇ, λέγειν καὶ τῆς ἀλληγορίας τὴν ἑρμηνείαν, ὥστε μὴ ἁπλῶς, μηδὲ ὡς ἔτυχε τὴν ἀκόλαστον ἐπιθυμίαν τῶν ἀλληγορεῖν βουλομένων πλανᾶσθαι, καὶ πανταχοῦ φέρεσθαι. Καὶ τί θαυμάζεις, εἰ οἱ Προφῆται; Καὶ ὁ Παροιμιαστὴς δὲ οὕτω ποιεῖ· εἰπὼν γάρ, ἔλαφος φιλίας, καὶ πῶλος σῶν χαρίτων ὁμιλείτω σοι· καὶ ἡ πηγὴ τοῦ ὕδατός σου ἔστω σοι μόνῳ. ἡρμήνευσε τίνος ἕνεκεν ταῦτα ἔλεγεν, ὅτι περὶ γυναικὸς ἐννόμου, καὶ ἐλευθέρας, ἀποτρέπων πόρνης, καὶ ἀλλοτρίας

ἅπτεσθαι. Οὕτω δὴ καὶ οὗτος ἐνταῦθα εἶπε τίνα ἔφησε τὸν ἀμπελῶνα εἶναι.

Quae Chrysostomi dicta cum sint maximi momenti, non erit injucundum relegere, prout Salmaticensis Doctor Luysius Legionensis, qui fuit ex Augustiniana familia, ea latino sermone amplificata explanavit. Ait vero (a). « Sacri profecto Scriptores, id quod magnus ille Chrysostomus vere animadvertit, quoties allegorias adhibent, (adhibent autem illas saepissime, nullus enim Tropus in Sacris Litteris est allegoria crebrior), eas aut interpretantur ipsi, aut ita distinguunt propriis notis earum rerum de quibus vere agunt, itaque temperant; ut prudens lector facile assequatur, quae sit earum sententia, atque vis: quod ut doceam exempla nonnulla proferam. Interpretantur ipsi, ut Isaias in illa vineae allegoria (v.); nam eam postquam perfecit omnibus artis, et ingenii coloribus, adhibita brevi interpretatione e vestigio declarat dicens (vers. 7); *Vinea enim Domini exercituum domus Israël est, et vir Juda germen ejus.* Et Ezechiel vates similiter quod de gemina aquila, deque vinea ab altera illarum consita, versus alteram autem sarmenta emittente, miris allegoriis involvit (XVII.); reseravit, et aperuit mox his (v. 12.) verbis. *Nescitis quid ista significent? Dic; ecce veniet Rex Babylonis in Jerusalem:* et quae sequuntur.

(a) In Cant. cant. Explan. cap. 1.

« Distinguunt etiam eas allegorias interdum propriis notis rerum, de quibus vere agitur; ne quis aut dubitandi, aut inepte interpretandi locus relinquatur: earumque allegoriarum plura sunt exempla, sed illud est in primis nobile, quod est apud Ezechielem (XVI.): quo loco populi Israëlitici ingratum adversus Deum animum, et impios mores vates describens; foeminam quamdam inducit in eum, qui se ab infantia aluerat; et adultam in uxorem duxerat, et praeterea affecerat multis, ac magnis beneficiis ingratam, et infidelem. Nam cum accomodate ad personam inductam, allegoriceque dixisset (v. 4.) *in die ortus tui non est praecisus umbilicus tuus, et aqua non es lota..., nec sale salita:* et paulo infra (v. 6.); *Transiens autem per te vidi te conculcari in sanguine tuo, et dixi tibi cum esses in sanguine tuo; Vive.* Citra allegoriam adjecit (v. 7); *Multiplicatam quasi germen agri dedi te, et multiplicata es.* Et statim ad allegoriam rediens: *grandis effecta... es, et pervenisti ad mundum muliebrem; ubera tua intumuerunt, et pilus tuus germinavit, et eras nuda.* Tum illa: (v. 10) *Et vestivi te discoloribus:* Deinde velut oblitus personae, foeminaeque addidit (v. 13, et 14.) *profecisti in regnum: et egressum est nomen tuum in gentes.* Rursus allegorice (v. 15.) *Et habens fiduciam in pulchritudine tua fornicata es...; et exposuisti fornicationem tuam omni transeunti:* iterum proprie (v. 17.) *tulisti de auro meo, atque ar-*

gento meo, quae dedi tibi, et fecisti tibi imagines masculinas. - Sicque ad extremum usque ex utroque genere figurato, et proprio orationem suam temperat.

« Item in Proverbiis Salomon ad illa quae figurate dixerat (a): *Bibe aquam de cisterna tua, et fluenta putei tui... Habeto eas solus, nec sint alieni participes tui. Sit vena tua benedicta.* Proprie et litterate addidit id, ex quo facile intelligeremus, quid illis tropis occulte, et verecunde significaretur; itaque ait (vv. 18, et 19.), *laetare cum muliere adolescentiae tuae. Cerva charissima, et gratissimus hinnulus; ubera ejus inebrient te in omni tempore, in amore ejus delectare jugiter* ».

Nec parabolae de Nabucodonosore deest litteralis explicatio; quare ejusdem Capitis (b) versiculo duodecimo pro Regis illius nomine, aliud inseritur appellativum ei soli proprium *Rex Babylonis.*

Nec minori digna admiratione est parabola, quam Joatham nepos Gedeonis hoc mortuo Sichimitis proposuit (c) de arboribus, quae *ierunt ut ungerent super se Regem.* Quid ergo? Sicut ibi, ubique pariter allegoriarum, aenigmatum, parabolarumque explicatio, vel loco proximo, vel remotiori alio in promptu adsit oportet.

(a) Proverb. V. 15, 17, et seqq.

(b) Ezechiel XVII, 12. et hinc usque ad versum 21. explicatur *quid ista significent.*

(c) Jud. IX, 8. usque ad 15.

CAPUT VIII

De Allegoria explicanda dicta Augustini, et Basilii.

Iam vero ubi locorum in toto Hebraico textu Cantici canticorum allegoria manifesta litterali expositione explanatur? Non enim alias similes parabolas proferendi tempus nunc est ad hanc explicandam: quia id non esset argumentum solvere, ut probe norunt Dialectici. Proinde Augustinus in epistola ad Vincentium Donastitam sic (a) scribit. « Quis autem non impudentissime nitatur aliquid in Allegoria positum pro se interpretari, nisi habeat et manifestissima testimonia, quorum lumine illustrentur obscura? » Ex quibus perspicuum fit, subdit Sixtus Senensis (b), « historicam explanationem non esse ab expositoribus nostri saeculi negligendam, quasi ignobilem, trivialem, et ineruditam; cum ipsa omnes fere mysticas expositiones nobilium, ac doctissimarum rerum praestantia antecellat ». Ita quoque testatur Salmero maxime quando ait (c): « Praecipuum locum obtinet litteralis sensus ».

(a) Epist. 93. cap. 8. §. 24.

(b) Biblioth. Sanctae lib. 3.

(c) Prolegom. 7. tomi 1. Comment. in Evang. historiam.

Contra allegorizantes hujusmodi serio arguit et Basilius (a). Οἶδα, inquit, νόμους ἀλληγορίας, εἰ καὶ μὴ παρ' ἐμαυτοῦ ἐξευρὼν, ἀλλὰ τοῖς παρ' ἑτέρων πεπονημένοις περιτυχών· ὥς οἱ μὴ καταδεχόμενοι τὰς κοινὰς τῶν Γεγραμμένων ἐννοίας· τὸ ὕδωρ οὐχ ὕδωρ λέγουσιν, ἀλλά τινα ἄλλην φύσιν, καὶ φυτὸν, καὶ ἰχθὺν πρὸς τὸ ἑαυτοῖς δοκοῦν ἑρμηνεύουσι. Καὶ ἑρπετῶν γένεσιν, καὶ θηρίων ἐπὶ τὰς οἰκείας ὑπονοίας παρατρέψαντες ἐξηγοῦνται, ὥσπερ οἱ ὀνειροκρίται τῶν φανέντων ἐν ταῖς καθ' ὕπνον φαντασίαις πρὸς τὸν οἰκεῖον σκοπὸν τὰς ἐξηγήσεις ποιούμενοι. Ἐγὼ δὲ χόρτον ἀκούσας χόρτον νοῶ, καὶ φυτὸν, καὶ ἰχθὺν, καὶ θηρίον, καὶ κτῆνος, πάντα ὡς εἴρηται οὕτως ἐκδέχομαι. Καὶ γὰρ οὐκ ἐπαισχύνομαι τὸ Εὐαγγέλιον.... ὅ μοι δοκοῦσι μὴ συνειδότες τινὲς παραγωγαῖς τισι, καὶ τροπολογίαις σεμνότητά τινα ἐκ τῆς οἰκείας αὐτῶν διανοίας ἐπεχείρησαν τοῖς γεγραμμένοις ἐπιφημίσαι. Ἀλλὰ τοῦτ' ἔστιν ἑαυτὸν σοφώτερον ποιοῦντος τῶν λογίων τοῦ Πνεύματος, καὶ ἐν προσποιήσει ἐξηγήσεως τὰ ἑαυτοῦ παρεισάγοντος.

Ex his ergo, quae produxi, ostenditur Cantici allegoriam dici debere allegoriam facti, et historiae juxta magni distinctionem Augustini: eique ideo historicum sensum veluti in litterae cortice, adesse. Referre autem liceat mihi canonem illum, quem sapienter adstruit Salmero (b). « Linguarum trium cognitio, et earum

(a) Hexaëm. Homil. 9.

(b) Ibidem Proleg. 9. Quinquag. 1. canon. 15.

phrases, et idiotismi bene noti magnum ingerunt lumen studiosis Scripturarum lectoribus; non solum ad ignorantiam propriarum significationum, quam nomina, et verba, praepositiones, et adverbia habent; proverbia, et voces ambiguas, et aequivocas distinguendas; et cavendas Textus, et nominum corruptiones; et similitudines, et aenigmata percipienda: verum etiam ad sensus Mysticos, et spiritales suavius accommodandos, et stabiliendos; qui sine Litterali sensu plane comperto, et explorato nonnisi dure, et violenter applicantur ».

Consule quoque, si lubet, Hottingeri Thesaurum Philologicum (a): et Waltoni Biblia Polyglotta locis in margine citatis (b).

(a) Lib. 1. cap. 2. sect. 7.
(b) Prol. 10. num. 11.

CAPUT IX

Objectiones proponuntur Martini: in prima earum resolvenda illustratur Cantici (VIII, 1.) versus.

Sed iterum contrarias propugnare partes videtur clarissimus Florentiae Antistes Martini, qui ait (a):

« Primo: se la Figlia di Faraone ella è la Sposa del Cantico, in qual maniera può ella essere ancora Sorella dello Sposo? Perocchè ella dice (VIII, 1.)- Chi a me ti darà Fratello mio! - Ed affinchè niuno possa prendere la voce *Fratello* per pura espressione di tenerezza si aggiunge, – succhiante le mammelle della mia Madre.

« Secondo: in altro luogo la stessa Sposa è detta Sorella della madre del Diletto (b) secondo i Settanta.

« Terzo: questa Sposa figlia di Re, Regina consorte di un gran Re, nella città di sua residenza va di notte tempo in cerca del suo Diletto; è trovata dalle sentinelle, da' custodi delle mura, i quali la battono, la feriscono, le tolgono il suo velo. Le quali cose tutte intese letteralmente, quanto disconvengano sel vede ognuno.

(a) Il Vecchio Testamento secondo la Volgata: Tomo ultimo - Prefazione al Cantico de' cantici.

(b) Cap. I, 12 juxta LXX; at respondet Hebraico I, 13.

« Quarto: la Madre di questa Sposa fu disonorata sotto una pianta, e sotto una pianta fu suscitata dal Diletto la figlia, la nostra Sposa.

« Quinto: le similitudini stesse, colle quali sono espressi i pregi dello Sposo, e della Sposa, quanto sono nobili, e piene di senso nella comune intelligenza dei Padri; altrettanto scadono, e male si adattano al terreno Salomone, ed alla Moglie di lui ».

Ad primum nunc respondeo. Qui enim bene verba Sponsae perpenderit, hanc nunquam Sponsi sororem se dixisse comperiet. Inquit illa, - Quis dederit te tanquam fraterculum mihi -: et hoc innuit vox כאח cum Praefixo כ *tanquam*, *quasi*, *instar*, *sicut;* quod praefixum unius praecipue cum altero similitudinem, non rem ita existentem describit. Quandoquidem ista particula apposite vocatur ab Hebraeis Doctoribus כ הדמיון similitudini enim proponendae inservit; uti (a) והיה כעץ שתול על פלגי מים; ita quoque (b) existit בקש יהוה לו איש כלבבו; necnon (c) בצלמנו כדמותנו. Et rarius vertitur *quomodo*, *postquam*, *circiter*, *prope;* atque tunc vocatur כ השיעור aestimationem, vel mensuram, quando tempori, spatiove additur, significans (d).

(a) Psalmo I, 3.

(b) 1. Sam. (Regum) XIII, 14.

(c) Gen. I, 26.

(d) Vide Exodi XII, 37. Eccles. XI, 5. Genes. XXVII, 34. etc.

Verum ad haec omnia, de quibus agitur, intelligenda sensum aperit Tirinus (a). « Ultima cum Sponso confabulatione, et epulo agresti, sic increverat amor Sponsae, ut quasi mandragorae philtro extra se rapta, optet continuum exinceps Sponsi consortium, et osculum etiam foris in publico. Quis, exclamans, mihi praestet hoc beneficium, ut non amplius per vices solum, et intervalla nunc in cella vinaria, nunc in secreto thalami, nunc in angulis horti vel agri jungaris mihi; ut more amicorum subinde se mutuo revisentium mihi hactenus junctus fuisti: sed continuo, et sine interruptione mihi familiaris adsis, et indivulsus adhaereas more fratris germani, et adhuc parvuli, qui sugit ubera ejusdem matris meae, et perpetuo, et ubique te mihi praesentem inveniam, etiam foris in publico, in omnium conspectu... et continuo deosculer te, et blandiar tibi, et delitier tecum sine interruptione, sine obloquio, sine rubore, ut licitum est Sorori ludibundae dissuaviari Fraterculum suum! »

Ibidem opinatur Johannes Clericus (b) « moribus illius aevi licitum quidem fuisse sorori, fratri in publico osculum libare; sed mulieri recens nuptae, qualis est haec Sponsa, rem indecoram fuisse cum viro suo familiarius se gerere, eumque foris osculari ». Fratribus

(a) In Commentario ad Cantici VIII, 1.

(b) In Comm. ad Cant. locum citatum.

autem collactaneis parvulis adhuc solent sorores basia dare, eosque jugiter a matris ubere depulsos ulnis suis gestare. Quibus expensis licet praecitata Sponsae exclamatio non admittatur veluti inanis *interjectio amatoria;* ostendit tamen Dilectam invenire desideravisse aliquid aliud in Sponso, quo ipse carebat: omni enim desiderio non res possessas, sed eas quae absunt, vel desunt, nos vere respicimus.

CAPUT X

Objectionis secundae, et tertiae solutio: vocabula Frater, *et* Soror *quomodo intelligantur in S. Scriptura, ad Cantici I, 13; et V, 7.*

Secunda objectio ex LXX Interpretum versione desumpta evanescit: namque dictio ἀδελφιδόος, vel ἀδελφιδοῦς primo sumitur pro *filio fratris uterini*, vel *sororis uterinae ;* tum latius pro quolibet *fratre*, *cognato*, vel *consanguineo ;* ac forte pro ἀδελφιδίον *fraterculus:* tandem « pro *dilecto* saepe exponitur in Canticis Salomonis » (a); uti perpetuo adnotant accuratiora Lexica Graeca.

(a) Tusani Lex. Graeco-Lat. voce ἀδελφιδόος, vide quoque ἀδελφός: item Henr. Stephani Thesaurum sub voce Δελφύς.

Enimvero mirum esse nequit si vox *Frater*, et *Soror* in sacris Libris latiori quandoque sensu adhibeatur, quam apud ipsos Graecos, Latinosve consuevit: cum Hebraica dictio אח, et אחות sit ejusmodi, ut difficillime integram, genuinamque in translatione significationem retineat. Ex quo coacti pene sunt Interpretes Hebraizare; nosque ideo mentes Theologorum nescientium Hebraicam torqueri saepius novimus, cum quaeratur quomodo Loth frater vocetur (a) Abrahami; vel quare Sara (b), atque Rebecca (c) maritorum suorum citra mendacium sorores esse dicantur. Ita in novo Testamento (d) nuntiatum est Christo: *Ecce Mater tua, et fratres tui foris quaerunt te.* Notetur ergo opus est, quod vocabulo masculino אח, et foemino אחות apud Hebraeos, Chaldaeos, Syros, Persas, populosque illos omnes Semiticae originis significatur quicunque homo qui iisdem familia; natione; moribus; amicitia; professione, aut vitae necessitudine alteri similis est. Varie itaque, ut adnotat Gesenius (e), accipitur in Scriptura; significat enim *consanguineus* (f), veluti sunt frater, nepos, patruus, affinis, avunculus,

(a) Gen. XIV, 14, et 16.
(b) Gen. XX, 2, 5, et 12.
(c) Gen. XXVI, 7.
(d) Marci III, 32; item Luc. VIII, 19. et seq.
(e) Thesaur. Linguae Hebr. sub rad. אחה
(f) 2. Reg. XIV, 6, et 7. Gen. XIII, 8. Jud. I, 13. Lev. XVIII, 16.

contribulis (a), *compopularis* (b), *amicus* (c), *alter*, vel *quidam* ὁ τὶς (d): hinc formula איש ואחיו (e). Eadem usurpatur dictio de similibus rebus inanimatis: quare etiam de vocabulis ἅπαξ λεγομένοις Rabbini ajunt אין לו אח במקרא *non habet fratrem in Scriptura.* Eadem dicta plus minus applicari possunt Graecis nominibus ἀδελφός, et ἀδελφή.

Soror item, nempe אחות accipitur de ὁμοπατρία (f), de *uterina* (g), pro *consanguinea*, et *cognata* (h). Dicitur de inanimatis rebus (i): urbesque dicuntur *sorores* (k): uti populi *fratres* appellantur (l). Poëtae porro levi aliqua similitudine unum quid alterius fratrem, vel sororem nominant (m). « Sed ita blande compellatur Sponsa in Cantico », ait Gesenius in Lexico.

At quod communissimum est: « Vocat Scriptura *Fra-*

(a) Num. VIII, 26.

(b) Jud. XIV, 3. Isai. LXVI, 20.

(c) Exod. XXXIII, 11.

(d) Gen. IX, 5. XXVI, 31. Lev. XIX, 17. Jer. XIII, 35.

(e) Ezech. IV, 17.

(f) 2. Reg. XIII, 5.

(g) Lev. XVIII, 9. Contra R. Maimonidem asserentem in Jabom Vechaliza (cap. 1.) « Non est fraternitas, quae *(licet a matre)* non est a patre ». Quod fuse probat Gussetius in Lexico sub radice praecitata.

(h) Gen. XXIV, 60. Levit. XVIII, 13.

(i) Exodi XXVI, 5.

(k) Ezech. XVI, 46.

(l) Num. XX, 14.

(m) Iob. XVII, 14. et XXX, 29. Proverb. VII, 4.

tres non iisdem tantum parentibus progenitos, sed et ex eadem generis serie prognatos, hoc est propinquos; quin et ejusdem professionis, aut gentis homines: quod et in foeminino *Soror* locum habet ». Ita Pagninus (a).

Nec tertio obstant quae de Regina opponuntur a Martini, licet urbem incognita circumiens furtum, et vulnera ab excubiis passa fuisse narretur (b). Pastoralis enim persona tota Regiae adaptata Sponsae est, nam indulgens Vates idiomatis sui Orientalis venustati, sub pulchra verborum metaphora physicum alium eventum vere, et adaequate describit. Debent idcirco istae in Cantico enarratae aerumnae considerari a cordato quovis Interprete tanquam fictae; sed *physice* inquam, non *grammatice:* quippe hoc tropo amoris illius impatientia sincerissime commendatur. Eodem conficto loquendi genere parabola proponitur arborum sibi regem deligentium (c): sic locutus est (d) Nathan Davidis peccata accusaturus. Vide quoque alibi (e); quod saepius in Prophetis obvium habet is, qui eorum usum adeptus est familiarem (f). Istaque producta responsio nil officit historico Cantici hujus facto, ipsius testimonio

(a) In Thesauro cum notis Merceri sub themate אחה
(b) Cant. V, 7.
(c) Jud. IX, 8. et seqq.
(d) 2. Reg. XII.
(e) 2. Reg. XIV.
(f) Vide Ezech. XV, XVII, XIX. Joël. I. Hamos IV, VII. Etc.

Augustini (a). « Secundum historiam, ait, traditur cum docetur quid scriptum aut gestum sit: vel-secundo-quid non gestum, sed tantummodo scriptum quasi gestum sit ». Quod si reapse nova Nupta noctu per urbem aberravisse supponatur, quid mirum si vapulaverit ab iis, qui neque certo scire, neque inter tenebras recognoscere poterant? Quidne frequentius ubique evenit, si tenera Puella inter militum acies sese nocturnas miscuerit, ac praesertim in Asia nullas habens ancillas, servum, matrem unam comites? Nec Reges, regiique sanguinis liberi ulla stipante caterva etiam pleno die sic per fora, vicosque versari unquam in Palaestina consueverunt.

(a) De util. credendi ad Honor. cap. 3. §. 5.

CAPUT XI

Diluitur quarta, et quinta objectio; tum agitur de multitudine, et granditate troporum congenitis Orientalium linguis.

Objicientem quarto ad Hebraicum Textum (VIII, 5.) consulendum remittimus, qui nulla de materno Sponsae opprobrio dicta complectitur. Propterea quod verbum חבל in prima Conjugatione *Kal* significat pro *pignore dari;* hinc in conjugatione *Phihel parturire*, *eniti*, et ex Chaldaicae linguae consuetudine *perdere*, *corrumpere*, *violare*. Vox autem חבלתך active explicari debet, quia est conjugatio Phihel natura sua activa, et propter Suffixum ך quod nonnisi activis verbi vocibus adnectitur. At validius eruitur argumentum ex genere masculino Affixorum pronominum per totum versum occurrentium, quare cum ibi nunquam Sponsus, sed Nupta ipsa interloquatur, ea cuncta e converso de Sponsi Genitrice dicta accipiuntur. Porro inter plures Hebraicas verbi חבל activi significationes Critica, et Logica ars vetant significationem praeferri intransitivam Chaldaicam, remque ita explicari, quomodo Martini arbitratus est: conjuges enim se, suaque mutuo laudare censendi sunt, nequaquam vero se vitupe-

riis afficere; illudque vitium in primis objicere sibi, quod parentes etiam suos capitali injuria impeteret.

Quam meam solutionem confirmant Septuaginta Viri vertentes *ὑπὸ μῆλον ἐξήγειρά σε· ἐκεῖ ὠδίνησέ σε ἡ μήτηρ σοῦ, ἐκεῖ ὠδίνησέ σε ἡ τεκοῦσα σε*. Vulgata tandem verba, *ibi corrupta est mater tua, ibi violata est genitrix tua;* dolores illos heu! molestissimos unice innuunt, quibus abrumpantur ilia oportet, et violentur arctiora claustra uteri parturientis.

Adscribere quoque hic placet interpretationem, quam J. D. Michaëlis, exponit in notis ad supra memoratam Dissertationem (a) Roberti Lowthi. Ipse enim per Hebraica verba modo relata *Sponsionem* intelligit duorum Amantium ante Matrem puellae, (ego autem certius dixerim Sponsi); quae sponsio rure, subque arbore fieri opus fuit, omnes enim illi ruricolae erant. « Sic enim, ait, illa verba explico - sub malo inveni te, ibi te foedere junxit mater tua - collato Arabico حبل *foedere constringere* ».

Postremum similiter argumentum plenis buccis irridetur ab iis, qui totos adhibuere conatus ad Hebraici idiomatis non voculas quasdam memoriae tradendas, sed ad ejusce genium vividiorem, indolem emphaticam, et sententiarum *σχήματα*, verborumque *τρόπους* pensandos. Provocare dein imperitos omnes malo ad su-

(a) De Sacra Hebraeor. Poësi Prael. 30.

perstites hodie in Asia, Aegypto, ac Palaestina popellos, quorum ora consensusque loquentium mihi indubiam fidem conciliabunt. Rem hanc longe lateque cognitam quoque artis Rhetoricae Institutores plerique edocent tyrones suos, uti quis legere poterit apud Ugonem Blair in suis Lectionibus de prisca Hebraeorum poësi (a). Sufficit itaque adnotare pro minus provectis loca Biblica aliquot, quae adeat suo quisque lubitu (b); sed praesertim reliqui attente legantur ab ipso Salomone Libri compositi: qui etiamsi non sint styli ejusdem sublimissimi, et divinioris illius argumenti, quod in Cantico universo explicatur; plures tamen continent modos (c) dicendi, quos vocare mihi liceat miracula sermonis. Nec perinde aliis linguis Japheticis ejusmodi phrases adoptandi venia datur: quemadmodum iis uti congenito sibi jure potuerunt vates Hebraei; sive ipsi hilares res, suavesque imagines referrent; sive Divino

(a) Lectures on Rhetoric and belles lettres by Hugh Blair Lecture XLI. The Poetry of the Hebrews.

(b) Iob. XXIX, 6. vide etiam integra Capita XXXVIII, XXXIX, XL, XLI, etc. 2. Regum XIV, 17, 19, et 20. XVII, 13. et capp. V, XVI, etc. 3. Regum XXII, etc. 4. Regum XIX. Psalmi XXXV, 6. XXXVI, 6. LXV, LXVII, LXXIII, LXXIX. Judicum XX, 16. et capp. V, et IX. Isaiae V, 25. et capp. XIII, XIV, XXXIV. Jeremiae IV, IX, XXII. Thren. II. Ezechielis XXVI, XXVII, XXXI, XXXII. Nahum II. Hoseae II. Zachariae VI, XI. Jonae II, 6 et 7. et III, 3. Hamos VII, IX. Etc., etc.

(c) Ecclesiastes capp. VII, X, XI, XII. Proverb. III, V, IX, XVIII, XX, XXIII, etc.

Spiritu fervverent, immensique ruerent ore profundo: quod nunquam vel Pindaro, vel Homero, vel Flacco profanis vatibus evenire potuit.

Si ergo his in locis tam stupendae metaphorae, hyperbolae, tropique omnis generis inveniuntur: curnam in Allegoria, qua de agitur, eosdem tropos reperiri displicet; cum totum Canticum sit revera metaphorarum innumerabilium, atque hyperbolarum in unum Mysterium conspirantium continuata coacervatio?

Mores enimvero scribentium Prophetarum non sunt ignorandi; longoque usu, diurna, nocturnaque meditatione perpendendae prophetiae universae, antequam peregrinum sistere pedem ad hujus Libri limen aliquis audeat. « Sciant, inquit Aquila illa Doctorum (a) sublimissima; sciant litterati modis omnibus locutionis, quos Grammatici Graeco nomine tropos vocant, Auctores nostros usos fuisse; et multiplicatius, atque copiosius, quam possint aestimare, vel credere, qui nesciunt eos, et in aliis ista didicerunt ». Consule doctissimi Sanctis Pagnini Isagogem ad litteras Sacras ubi ea fuse tractantur (b).

(a) S. August. de Doctr. Christiana lib. 1. cap. 29. §. 40.
(b) Lib. 1. a cap. 24 usque ad 29.

CAPUT XIII

De sensu Cantici historico ex Origene, Augustino et Nysseno: quare hic a Patribus praetermissus.

Dilutis nunc objectis difficultatibus propugnatae a me sententiae testimonia Patrum faventia allegabuntur.

Monet profecto prior omnibus caeteris idem Origenes: Origenes ajo, quem Hieronymus (a) improbat « quod ita allegorizet, ut historiae auferat veritatem ». Illius itaque sententia his clare dictis (b) emicat. « Introducitur nunc, per historiae speciem Sponsa quaedam, quae suscepit quaedam sponsaliorum, et dotis titulo dignissima munera ab Sponso nobilissimo. Sed plurimo tempore moram faciente Sponso sollicitari eam desiderio amoris sui, et confici jacentem domi suae, agentem omnia, quatenus possit aliquando videre Sponsum suum, atque oculis ejus frui..... Haec sunt quae dramatis in modum historica continet explanatio ». Itaque in quatuor illis Origenianis Libris qui de Cantico supersunt ante caetera explicatur sensus dramatis, et historiae. Vide praecipue Libri tertii dicta (c). Quare,

(a) Epist. ad Pammach.

(b) Origenes in Cant. cantic. Libro 1.

(c) Ad Cant. II, 9. *En ipse stat post parietem nostrum.*

addit Glossa ordinaria (a), « hoc epithalamicum carmen conjunctionem Christi, et Ecclesiae mystice canit ».

Sed cur illo in loco, sicuti apud universos etiam Patres semper additur vox *mystice?* « Etenim illa cantica, teste Augustino (b), aenigmata sunt, paucis intelligentibus nota sunt, paucis pulsantibus aperiuntur. « Idem propterea Doctor de alia re disserens minime contradicit nostrae huic assertioni, quamvis dixisse (c) legatur ». Narratio quippe in his libris (Geneseos) non genere locutionis figuratarum rerum est sicut in Cantico canticorum, sed omnino gestarum, sicut in Regnorum libris, et hujuscemodi caeteris. Sed quia illic ea dicuntur, quae vitae humanae usus notissimus habet, non difficile, immo promptissime primo accipiuntur ad litteram, ut deinde ex illis quid etiam futurorum res ipsae gestae significaverint exsculpatur ». Confer hic ejusdem admirandi Doctoris alia testimonia (d), quae anterius adduci opus fuit (e), neque amodo repetere decet: consule simul superius (f) hic disputata.

(a) In principio comment. ad Canticum.

(b) De Scripturis:Sermon. 46. de Pastorib. cap. 15. §. 35.

(c) Lib. 8. de Gen. ad litteram §. 2.

(d) S. August. de vera Relig. cap. 50; et de Utilit. credendi ad Honorat. cap. 3.

(e) Primae Partis capp. VI, et X.

(f) Primae Partis capp. VIII, et IX.

S. Gregorius Nyssenus (a) dicit. Ἀρά με τοῦτον οἴη λέγειν τὸν ἐκ τῆς Βηρσαβεὲ Σολομῶντα, τὸν ἐπὶ τοῦ ὄρους ἀνενεγκόντα τὴν χιλιομβὴν, τὸν τῇ Σιδανίᾳ συμβούλῳ πρὸς τὴν ἁμαρτίαν χρησάμενον; ἄλλος Σολομὼν δι' αὐτοῦ σημαίνεται, ὃς καὶ αὐτὸς ἐκ τοῦ σπέρματος Δαβὶδ τὸ κατὰ σάρκα γενόμενος.... Αὐτὸς ὀργάνῳ τῷ Σολομῶντι τούτῳ χρησάμενος δι' ἐκείνου ἡμῖν διαλέγεται.

Καί.... τότε διὰ τοῦ ᾄσματος τῶν ᾀσμάτων ἐντὸς τῶν θείων ἀδύτων μυσταγωγεῖ τὴν διάνοιαν. Ἐν οἷς τὸ μὲν ὑπογραφόμενον ἐπιθαλάμιός τις ἐστὶ διασκευὴ, τὸ δὲ ἐννοούμενον τῆς ἀνθρωπίνης ψυχῆς ἡ πρὸς τὸ θεῖον ἐστὶν ἀνάκρασις.

Sed ista Patres vix innuunt, et quia perspicua cuilibet esse opinati sunt; atque etiam quia Adamantii rationibus subscripsere. Iste enim ait explicata breviter historia (b). « Sed haec nullam mihi videntur quantum ad historicam narrationem pertinet, utilitatem conferre legentibus, aut aliquam saltem narrationis ipsius servare consequentiam; sicut in caeteris Scripturae historiis invenimus. Unde necesse est cuncta ad spiritalem transferre intelligentiam ». Non ergo abjecerunt historiam Patres, sed utilitatem ejus minoris aestimaverunt Mysterio ipso per illam significato.

Ut tamen res omnis dilucide explanetur animadverti

(a) Homil. 1. super Cant.

(b) Origenes Libro 4. ad Cant. II, 13, et seqq.

opus est cum Bellarmino (a). « Communis *enim* regula explicandae Scripturae est, ut nunquam dimittamus proprium verborum sensum, nisi cogamur ab aliqua alia Scriptura, vel ab aliquo articulo Fidei, aut certe a communi totius Ecclesiae explicatione ». Ergo (b) « sensus proprius, et litteralis semper est eligendus, nisi evidenter probetur contrarium. Neque debent a nobis petere adversarii cur sequamur proprium verborum sensum: simile enim id esset, ac si quis peteret ab iis, qui sunt in itinere, cur sequantur viam communem, et tritam? Nemo enim sanus id quaerit. Vel cur ingrediamur per portam, non per fenestram? » Atque hanc Bellarmini sententiam Ecclesiae Patres dudum secuti sunt, et facto ipso suis in disputationibus probavere; quorum ut unus saltem hic nominetur, testis venit S. Basilius (c).

Revera et Glassius idipsum evincit (d); nam « quilibet Scripturae locus sensum litteralem admittit »: quare idem Auctor Lyranum confutans, « Sensum litteralem eum esse definit, qui per verba Scripturae (sive proprie, sive tropice in Textu usurpata sint), proxime

(a) Lib. 1. de Eucharist. cap. 9. § ultimo.

(b) Ibid. cap. 12.

(c) Hexaëmeron Homil. 9. vide supra Cap. VIII. ubi ea suis verbis legenda affertur auctoritas.

(d) In Philolog. lib. 2. part. 1. tract. 2. sect. 1. canone 3.

significatur ». Quae definitio ad amussim respondet illi exhibitae jam a Salmerone (a).

CAPUT XIIII

Datur-ne sensus Allegoricus sine Litterali? Auctoritas Rabbi Sal. Jarchi, necnon Sanctorum Hieronymi, et Augustini producitur, cum adnotatione Glassii.

Quibus praejactis mox quaeritur potest-ne dari sensus Allegoricus in Scriptura, excluso omni prorsus sensu Litterali immediato?

Salomon Jarchi ex Hebraeis, quod etiam sentit Aben Hezra, Cantici commentarium exordiens, illudque sibi praeferens Davidicum (b) comma ait: « *Semel locutus est Deus, duo haec audivi.* Scriptura quidem una, eademque trahitur in quamplurimos sensus; sed nulla tibi est, quae simplicis, et historici sensus rationem evadat ». Adductaque sententia, uti refert (c) Petrus Cunaeus, consona est Rabbinorum effato. « Nusquam

(a) Tom. 1. Prolegom. 7. Comm. in Evang. hist.

(b) Psalm. LXI, 11.

(c) De Rep. Hebraeorum. lib. 3. cap. 8.

Scriptura est absque sensu simplici; sed habet pariter, ut mysticum, ita et simplicem: his duobus non est ut careat ».

Jam vero audiantur Ecclesiae duo lumina illa Augustinus, et Hieronymus. Scripsit hic (a): « Triplex in corde nostro descriptio, et regula Scripturarum est; prima, ut intelligamus eas juxta historiam; secunda, juxta tropologiam, (*allegoriam* simul cum Bellarmino (b) intellige), *in qua* de littera ad majora consurgimus, et quiquid in priore populo carnaliter factum est, juxta moralem interpretamur locum... tertia juxta intelligentiam spiritalem, etc. » Addit porro (c). « Haec dicimus .... quod spiritalis interpretatio sequi debeat ordinem historiae; quod plerique ignorantes lymphatico in Scripturis vagantur errore ». Dicta nunc referuntur a Doctore Hipponensi (d). « Tripartita reperiuntur eloquia Prophetarum; siquidem aliqua sunt ad terrenam Jerusalem spectantia, aliqua ad coelestem, nonnulla ad utramque.... Mihi autem sicut multum videntur errare qui nullas res gestas in eo genere litterarum aliquid aliud, praeter id quod eo modo gestae sunt, significare arbitrantur; ita multum audere qui prorsus

(a) Hieron. Epistola ad Hedibiam quaest. 12.

(b) Lib. 3. de Verbo Dei cap. 3.

(c) Hieronymus libro 5. Comment. ad Isaiae XIII, 19. vide etiam libri ejusdem exordium.

(d) Lib. 17. de Civ. Dei cap. 3.

ibi omnia significationibus allegoricis involuta esse contendunt. Ideo tripartita, non bipartita esse dixi: hoc enim existimo; non tamen culpans eos, qui potuerint illic de quacunque re gesta sensum intelligentiae spiritalis exsculpere, servata primitus dumtaxat historiae veritate ». Et clariorem sententiam Idem alibi (a) profert. « Quidquid in sermone divino neque ad morum honestatem, (id est ad diligendum Deum, et proximum), neque ad Fidei veritatem, (id est ad cognoscendum Deum, et proximum) proprie potest referri, figuratum esse agnoscas... Quod si (b) perspicue sonat non est ad aliud referendum, quasi figurate dictum sit ». Atque hanc prostremam admonitionem in conclusione, ne quis rei solerter a se discussae obliviscatur, denuo prudentissime repetit.

Interdum vero aliud in eloquiis Prophetarum occurrit, quod studiose, ac juxta SS. Patrum sententiam id explicantium, considerari opus habet. Dum enim longam Divini Vates orationem de certo quodam argumento sibi assumpto intexunt, in suo tamen discursu verba aliquot, parvum hemistichium, versiculum unum, vel alterum intermiscent, quo vulgatam cunctorum Rhetorum methodum perturbantes, de Christo Jesu palam loquuntur. Hoc propterea in Prophetico stylo cavere do-

(a) D. Augustin. de Doctr. Christ. lib. 3. cap. 10. §. 14.

(b) Ibidem capite 11. §. 17. et cap. 14, §. 23.

cent Alphonsus Salmero, et Glassius, cujus ista (a) sunt verba. « Prophetae a Typo ad Antitypum saepe transeunt, et cum de aliis rebus sermo ipsis est, ad Christum Scripturae nucleum convertuntur, et de eo in sensu litterali prophetant ». Sic videre est non pauca loca per universum Bibliorum corpus obvia (b).

Ex quibus omnibus tres sponte sua eruuntur illationes; sensum nempe litteralem semper in Scripturis existere: secundo litteralem hunc, cui reliqui superstruantur sensus, in primis serio perpendendum esse: denique oportere ut allegoricus sensus, sive alii quotcunque, litterae fundamento apte, et rationabiliter cohaereant.

Quamobrem superius objicientes hallucinatos forte cum Calovio arbitror, qui in contraria (c) claudicavit refutare volens blasphemias nescio an dicam, vel foeda insomnia cujusdam Viri (d) caeterum doctissimi.

(a) Philolog. lib. 1. tract. 4. sect. 1. canone 8. Salmeronis Comment. in Evang. historiam tom. 1. Proleg. 10. Quinquag. 2. canone 33, et 41.

(b) Geneseos XII, 3. XLIX, 10, 18. Deuteron. XVIII, 15. Isaiae VII, IX, XLII. Jer. XXIII, XXXIII. Zach. IX, 9. Et alia.

(c) Calovii Biblia illustrata Vet. Testamenti Tom. 1. part. 3. Ad Canticum canticorum annotata Grotiana.

(d) Hugonis Grotii Annotata ad V. Testamentum Tom. 1. in Canticum.

CAPUT XIV

Historiam Salomonii conjugii tuentur A-Lapide, Calmet, Bossuet, etc. et concluditur cum Estio.

In suis tamen commentariis Cantici ad litteram de Pharaonitide Honorius Augustodunensis accipiunt, et Malvenda, ac Mariana; neque aliter concludit Cornelius a Lapide (a). « Salomon occasione nuptiarum cum Filia Pharaonis scripsit hoc Canticum, quare ad eam grammatice alludit, ut cum eam vocat (VII, 1.) *Filiam Principis*, et cum ait (I, 8.); *Equitatui meo in curribus Pharaonis assimilavi te:* hinc et a Salomone vocatur *Sulamithis* quasi diceretur Salomonia, sive Salomonis uxor ».

Fusius praeterea Augustinus Calmet (b) in Cantici Praefatione ratiocinatur dicens. « On convient, qu'il y aurait de la témérité, et même de l'impiété à vouloir tout expliquer à la lettre, en excluant le sens spirituel. Ce serait s'exposer au danger presque inévitable de scandale, et se priver volontairement de tout le fruit, qu'on

(a) Polegom. in Cant. Commentario.

(b) Commentaire littéral sur tous les livres de l'A. et du N. Testament. Tome cinquième.

doit tirer de cette lecture. Mais, s'il y a moins de danger dans l'opinion, qui prend de Jesus Christ à la lettre tout ce qui est dit ici, que dans celle, qui entend tout de Salomon dans le même sens; nous ne croyons pas pour cela, que le prémier sentiment soit absolument assuré, et sans inconvénient. Dans l'Ancienne Loi la realité était toujours, ou presque toujours cachée sous les ombres de la figure. Tout l'ancien Testament, et à plus forte raison le Cantique des cantiques est une allégorie continuelle, et cette allégorie a nécessairement une double face. La prémière était pour les Juifs charnels, et l'autre pour les spirituels: la prémière regardait un temps présent, et la seconde un temps futur. Celle-ci se bornait à Jesus Christ, l'autre avait pour objet Salomon... Lorsque le Concile second de Constantinople a condamné la méthode de Théodore de Mopsueste, et traité de rêveries son Commentaire sur le Cantique, dans lequel il expliquait tout du mariage de Salomon avec la Fille du Roi d'Egypte; il a seulement désapprouvée la licence de ceux, qui se bornent au sens de la lettre, sans s'élever à un sens spirituel, qui est le prémier dans l'intention du Saint Esprit. Mais il a toujours approuvé, et il approuve ceux des Pères, et des Commentateurs, qui sans rejetter le sens littéral, et historique, s'appliquent au spirituel, et s'élèvent jusque à Jesus Christ. C'est la méthode, qu'ont suivie la plupart des Anciens, et des nouveaux

Interprètes ; et c'est celle, que nous suivrons après eux » (a).

Nec perspicue minus Bossuet (b) hanc illustrat veritatem. « Et quidem, ait, Salomon se, castosque suos erga Filiam Pharaonis affectus in exemplum profert; dumque in vera historia ea fingit, quae flagrantissimo amori congruunt, describit aptissime sub elegantissimae fabulae involucris coelestes amores ».

Quod si in ejusmodi disquisitione prolixior alicui fuerim visus, is quaeso animadvertat, graves mihi objectas auctoritates magnorum Virorum nonnisi gravioribus argumentis a Textu ipso Hebraico desumptis, et clarioribus Patrum testimoniis diluendas fuisse. Nunc autem, ut professa a me sententia sine ulla prolixitate asseratur; rem brevissime totam complectar cum Estio (c) dicente. « Hebraei quidem scriptum putant velut canticum amatorium, quo Salomonis Regis, et uxoris ejus Filiae Pharaonis amor describatur. Sed nullo modo putandum est Spiritum Sanctum hoc Canticum ad declarationem illius amoris dictasse; sed sicut Psalmus XLIV *Eructavit cor meum verbum bonum*, principaliter scriptus est velut epithalamium Christi, et Ecclesiae,

(a) Synodus II. Cpolitana, quae fuit V. Oecumenica sub Vigilio Papa anno DLIII, scripta damnavit Theodori Ep. Mopsuesteni in Actis IV. et V. collationis.

(b) Praef. ad suas Cantici Notas.

(c) In Praef. ad Cantici Commentarium.

sumpta tamen occasione ex nuptiis Salomonis; ita et istud Canticum principaliter, etiam ad litteram quidem tamquam in figuratis, et parabolicis locutionibus, ad Christum, et Ecclesiam ejus Sponsam pertinet...; sumpta tamen scribendi occasione ex mutuo ac vehementi amore Salomonis, et Reginae ejus Aegyptiae; per quod simul vocatio Gentilis populi praefigurabatur ».

PARS SECUNDA

De Cantico an sit poëticus liber, ac propheticus:
deque sua oeconomia.

CAPUT I

Canticum est poëticum opus versibus constans: forma versuum Hebraicorum, et Biblicorum origo vestigatur.

Age nunc videamus utrum soluta, vel adstricta numeris elocutione Canticum canticorum componatur. Quamvis porro antiquam Hebraeorum poësim penitus cognoscere impossibile sit, nil obstat quominus id opus metricis aliis scriptis tuto adcenseamus, quotquot a Davidis Filio prodiere. Quodvis enim carmen extrinsecis coërceri legibus, et intimo characthere discriminari a prosa necesse habet. Qua in re Roberti Lowthi in Sacram Hebraeorum Poësim Dissertatio consulenda venit omnia macte complectentis ad hanc materiam spectan-

tia. Licet enimvero accentuum ratio, ac dispositio juxta solutae orationis normas instituta ibidem reperiatur; quod obiter pluribus Canticis prisci Testamenti obtigit: phrases tamen, loquendi imagines, et tropi ubique poëtici, ac semper venustissimi adsunt.

Cui accedit extrinsecus habitus, formaque metrica, seu *Parallelismus Syntheticus, Synonymus*, et *Antitheticus*, quae lex est Judaicarum cantionum (a). Et sane quemcunque velis hujus carminis Salomonii stichum assumere, nonne inter primas, et secundas ejus partes distingui vides effectus sub causa ordinationem, vel alterius super illo influxum, quo consistit Parallelismus *Syntheticus?* Nonne invenies oppositam ideam in primo, alteri in postremo hemistichio adversari, quod requiritur in Parallelismo *Antithetico?* Nonne etiam *Synonymus* elucet, qui explicatione constat rerum similium in duabus versus partibus, non sine gradatione aliqua adornatarum? In qua forma versuum externa, juxta super collaudati Lowthi arbitratum, universa consistunt vetustae poëseos filiorum Israël metrica documenta.

Memini quoque plerosque illustres Viros, et praecipue clarissimum Jahn in sua editione Bibliῶν, et doctissimum Kennicotth in suis Variantium collationibus Canticum totum versiculis distinxisse ad modum Grae-

(a) Vide Lowthi Dissert. de Sacra Hebr. Poësi Prael. 3, et seqq.

cae, Latinaeve Odae. Neque aliter sentiebat S. Johannes Damascenus, qui (a) inquit: Τρίτη πεντάτευχος. Αἱ στιχήρεις βίβλοι (εἰσὶ), τοῦ Ἰώβ, τὸ Ψαλτήριον, Παροιμίαι Σολομῶντος, Ἐκκλησιαστὴς τοῦ αὐτοῦ, τὰ Ἄισματα τῶν ᾀσμάτων τοῦ αὐτοῦ. Idem quoque testatur (b) D. Cyrillus Jerosolymitanus.

Antequam tamen disquisitio ista ulterius procedat, admoneantur oportet Lectores non agi inferius de versibus seu *Versiculis*, quibus omnes Veteris, Novique Instrumenti libri constant. Difficile nihilominus foret Auctorem, tempusque certissime assignare, quo primum ista Versiculorum partitio in Scripturis introducta fuit. Prior enim in solo Psalterio typis edito anno MDIX Henricus Stephanus id invexit: Robertus inde Stephanus in Sacra Biblia universa a se annis MDXLIIII, et MDXLVI impressa adoptavit. At vere Henricus id praestitit imitatus Sanctem Pagninum, vel edoctus a Jacobo Fabro (vulgari apud Gallos cognomento vocato *le Fevbre d'Etaples*), qui fuit Vicarius generalis Episcopi Meldensis Gulielmi anno MDXXXIII, et praeceptor postea Ducis Aurelianensis.

Sed hic cum non quaeratur quis primus fuerit Impressor sacri Codicis per Capita, et versus distincti: ideo alii ejus rei originem repetunt vel a Stephano

(a) Libro quarto de Fide Orthod. lib. 4. cap. 17.

(b) Catech. 4. de Decem Dogmatibus. Dogm. 11. de Div. Scripturis.

Langtonio Anglo, qui fuit Archiepiscopus Cantuarensis, et ab Innocentio III Pontifice Maximo Cardinalis renuntiatus saeculo decimo tertio. Vel Ugoni Carrensi *(de Saint Cher)*, qui ex inclyto Praedicatorum ordine claruit Doctor Sorbonicus, atque Cardinalis titulo S. Sabinae factus est anno MCCXXXXIV ab Innocentio Papa IV malunt alii versiculorum tribuere inventionem. At Capitum divisionem refert (a) Millius fuisse insertam ab Euthalio epistolis D. Pauli anno CDLVIII, nec ante saeculum VII. in Scriptura Graeca usuvenisse. Temporibus enim antiquioribus nullam distinctionem prae se tulisse Sacra Volumina narrantur, praeter illam in Synagoga usurpatam, quae varias habet פרשיות, et הפטרות quas vertere possumus *Sectiones*, aut *Articulos*. Tametsi Hebraei recentiores in suis Codicibus impressis Capitum, et Versiculorum distinctionem, quia maximopere ad citationes commodam, a Christianis mutuati sunt, ut apertissime confitetur (b) Rabbi Elias Levita.

Sed de eo satis: hic de versibus seu *numeris* est sermo quibus Carmina componuntur, usique sunt Israëlitides a Deo inspirati Poëtae.

(a) Joh. Millius in Prolegom. suae Editionis Novi Testamenti.

(b) In Praefat. 3.ª libri Masoreth, et lib. Bachur: vide quoque Concordant. R. Nathan, ubi refert Hottingerus in Thes. lib. 1. cap. 2. sect. 5.

CAPUT III

Cur vocetur Canticum canticorum: *nonnulla hinc innuuntur de Musicis instrumentis, et de variis Carminum nominibus.*

Quia deinceps hujusmodi Carmen caeteris omnibus laudabilius est ob elegantias sibi proprias, quae in aliud idioma translatae non idem sapiunt, et ob suavissimos ejus discursus, nominibus derivatis שיר השירים fuit appellatum. Vult enim Hebraicae linguae consuetudo, ut quidquid excellet in suo genere vice superlativi « per substantivum in genitivo casu seipsum regens » designetur. Ita Glassius (a), et Rabbini Akiba, Eleazar, Jarchi, atque Kimchi: quare excellentissimum poëma *Canticum canticorum* dictum est, sicut Is quoque cui canitur, singulari emphasi *Rex regum* vocatur (b), et *Dominus dominantium.*

Id confirmant veteris Pacti similia exempla, uti (c) עבד עבדים, et (d) שר שרים, et illud luculentius (e)

(a) Philolog. Lib. 3. tract. 1. canone 16.
(b) 1. ad Timoth. VI, 15. Apoc. XVII, 14. XIX, 16.
(c) Genes. IX, 25.
(d) Daniel. VIII, 25.
(e) Deuteron. X, 17.

כי יהוה אלהיכם הוא אלהי האלהים ואדני האדנים

Quibus modo expositis quaeret fortasse quispiam quot Odarum, seu Carminum species usuvenerint aureo illo saeculo apud Hebraeos; cum sane plura occurrant nomina praecipue in Psalmorum initiis adscripta, unde metri saepe diversitatem significari compertum est. Ut ergo ea, de qua agitur, ordinatim res illustretur, distingui primo debent dictiones quae Musicam consonandi, modulandive rationem designant, a titulis, qui Poëticum metrorum artificium ostendunt. De instrumentis autem Musicae scire nunc satis est; dividi illa omnia in *Inflatilia*, sive pneumatica נחילות veluti tibias, buccinas, etc. eorumque decem recensentur nomina. Dividuntur secundo in instrumenta נגינות *Fidicinia*, aut polychorda, ex quibus octo in Scriptura memorantur. Numerantur postremo instrumenta *Crepitantia*, et ista quassabantur, vel percutiebantur ab hominibus scientibus מלאכות תופפות: hinc ratione habita thematis חלה, et חול, dici possent מחלות; licet de hoc vocabulo alii aliter opinentur. Hujus vero speciei sunt sistrum, tympanum etc., quorum nomina quatuor fuere (a) tradita memoriae.

Poëticus vero titulus, qui maxime communis, et genericus esse constat est שיר, utpote a themate שור *ca-*

(a) Vide prae caeteris Athanasii Kircheri Musurgiam sacram. Schilte Haggiborim. Tractatum Julii Bartolocci, et Dissertationem August. Calmet de Musicis instrumentis.

nere, quod cognatum est alteri שרר *contemplari*: eoque nomine insignitur quodvis *Poëma* scriptum, vel dictum cum numero, aut rythmo. Inde fluunt *speciales* appellationes ex. gr. שיר קינות *Elegia*, vel carmen lamentabile; שיר ידידות *Epithalamium*, hymnusve amorum; שיר מזמור *Psalmus*, vel ode constans ex parvis strophis, et antistrophis. Foemineum שירה indicat *Poësim* abstracte, ac per metonymiam saepissime quodvis poëmatum genus verborum pulchritudine elegantium, sententia affectuosa, et numero sonoro.

Vocatur hinc מזמור carmen illud cum cythara plerumque sociandum, id est *Psalmus*, qui strophis et antistrophis, sive alternis hinc inde versibus decantari solebat a Choris duobus, vel a Chorago מנצח et discipulo, aut etiam a Vate, ac populo. Etenim dicitur זמירה omnis *modulatio* vocis, vel instrumenti; atque זמיר *psalmodiam* denotat, sed nominatim significat cantum avium varie incisum, qualis est Philomelae; quem Latini dicunt *minuritionem*, sicuti in ipso Cantici (II, 12.) textu Hebraico fit commemoratio.

Occurrit iterum מכתם *Idyllium* praestantissimum, κειμήλιον, cujus nempe stylus *aureoli* instar, nitidus est, et ornatus.

Habet etiam Poësis didascalica suum משכיל quae vox significat *doctrina*, *eruditio*; et hinc ob ellypsim vocabuli generici שיר vertitur *Ecloga erudita*. Hujus vero intelligi locutio sine meditatione non potest.

Tandem per שגיון cum innuatur ἔκστασις, id est *erratio ;* carmen indicatur varium, aut si dicere licet, *Dithyrambus*, quo includitur hilare argumentum.

Caetera si quae hic objicerentur nomina, ea esse arbitror impropria, et non τεχνικά; ab his ergo enumerandis abstinebo, ne etiam obscuriora enucleare professus a scopo longius excurram.

Nam neque minori injuria titulus ille *Canticum canticorum* detrahi ab hoc Libro fas erat propter ejus *prophetici* Argumenti excellentiam, de quo sub Allegoriae symbolis agitur; divinissimi nempe amoris Christi Jesu, conjugiique sui, quod per ineffabile Incarnationis mysterium cum Ecclesia Sponsa consummavit. Propterea S. Gregorius Nanzianzenus (a) ait: Ἅγια ἁγίων καλεῖταί τινα, καὶ ᾄσματα ᾀσμάτων, ἐμπεριεκτικώτερα γάρ ἐστι, καὶ κυριώτερα. Et S. Dionysius (b) vocavit θείων ἐρώτων ᾄσματα, καὶ ἐν θέους εἰκόνας.

(a) Oratione 40.

(b) De Eccles. Hierarch. cap. 3. Theoria 3.

CAPUT III

Canticum est Drama bucolico temperatum stylo; cujus inde notatis Interlocutoribus, de dramaticis requisitis aliqua delibantur.

Variae dein cum sint Carminum species, hoc Canticum bucolico conformatum stylo fuisse constat, et Dramatico etiam genere contineri: totum denique laetitiae, suavitatisque, et ignoratae profanis vatibus innocentiae illecebris abundat. Ita D. Basilius (a) sentiebat edisserens: τὰ ᾄσματα πάντα φαιδροτέραν δοκεῖ περιέχειν πραγμάτων κατάστασιν... τὸ ᾆσμα τῶν ᾀσμάτων ἐπιθαλάμιός ἐστιν ᾠδὴ δραματικῶς πεπλεγμένη. Hebraei tamen in eo adscriberent cantionum ordine, qui Charitati adaugendae inservit, et ipsum hoc Poëmatium dicerent שיר ידידת nomine a re tractata desumpto.

Evidens porro est, praecipue legentibus Textum ipsum (b), ejus Cantici Interlocutores esse SPONSUM adolescentem, qui Pastoris personam gerit, et oves curat: SPONSAM rursus Custodem esse vinearum, et ruris laboribus addictam; illisque CHOROS duos addi.

(a) Cap. 5. Comment. in Isaiae V. §. 139.

(b) Ex. gr. Capp. I, 14, 15. V, 8, 9, 10, 17. VIII, 8, 9, 13. II, 15. et V, 1.

Liber autem Iobi constituit drama perfectum magis, si regulae Aristotelis, aliorumque Magistrorum consulantur; ubi locus, et Scena; Actus, personaeque; Fabulae contextura, et dignus vindice Deo nodus inveniuntur. Hic proinde quamvis Chori adsint puerorum Sponsi comitum, Sponsaeque pedissequarum virginum, immo agant ipsi, et colloquantur, uti in Graecorum tragoediis aliquibus; non ideo perfecta agitur distributio rei, neque ulla enodatio, neque progressio interest ad Fabulam eorum juxta Institutorum placita requisita. Haec enimvero in Cantico criminarentur Graecis artibus imbuti! At profecto Occidentales populi habent jus id exigendi ab Orientalibus Poëtis lingua, moribus, gustu tam a nobis alienis? Jusne habent culpandi tanquam defectum, quod est Dramati extrinsecum, et reapse variari posset ejus salva substantia? Innuere id sufficit mihi. Quocunque dein quaestiones istae modo resolvantur, dubio secus est, quod hoc Poëma dialogo distribuitur, ubi tanta rerum depictarum pulchritudo nullo fucata artificio, tam facilis, et ad suavitatem composita locutio in admirationem trahunt, aeque ac mirifica illamet ordinis perturbatio apparens, quae divinam latentis nexus offert oeconomiam. Nimirum ab Auctore ordinis artificiosi fatigatio exulare hinc consulto jussa est; ut simplicitatem naturae praeberet contemplandam, cujus eloquia maxima, castissimaque semper Philosophorum animos voluptate perfundunt.

CAPUT IV

Quae prophetia a Regio Vate sub historica describatur Cantici allegoria.

Probatum insuper quamplurimis est Salomonem sui conjugii occasione nacta, sanctissimis castarum nuptiarum arcanis amorem Christi cum Ecclesia unica ex Veteris, Novaeque Legis filiis (a) coalescente allegorice divinatum fuisse. Profecto *filiorum Dei* familia, quae « a primo Habel justo usque ad ultimum electum, qui in fine mundi nasciturus est (b) », quando generatio, et tempus non erit amplius, nomine Sponsae apud Prophetas insignitur. *Sponsabo te mihi in sempiternum*, inquit Hoseas (II, 19.); atque integris fusius vaticiniis Isaias (capp. LIV, LX, LXII), Jeremias (II, III), et Ezechiel (XVI, et XXIII) Sponsae divinae natalia, vitam, honores, rebellionem, et Foedus prisca, novissimaque Lege sancitum descripserunt. De hac iterum, quam Deus-Homo Messias adamavit Uxorem, in easdem sententias a Vatibus antiquis prolatas Evangeli-

(a) Ita in Cantici expositione sentiunt SS. Hieronymus, Bernardus, Gregorius, ita Origenes, Dionysius Carthusianus, Beda, etc.

(b) S. Gregor. Homil. 7.

stae, Apostolique testimonium perhibuerunt. Quare ajebat Paulus (a); *Despondi vos uni viro virginem castam exhibere Christo.* Et rursus alibi (b); *Christus caput est Ecclesiae, ipse Salvator corporis ejus... Ut exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid hujusmodi; sed ut sit sancta, et immaculata.... Nemo enim carnem suam odio habuit: sed nutrit, et fovet eam; sicut et Christus Ecclesiam. Quia membra sumus corporis ejus, de carne ejus, et de ossibus ejus.* Matthaeus item verba enarrat (IX, 15.) ipsius JESU respondentis. *Numquid possunt filii Sponsi lugere, quamdiu cum illis est Sponsus?* Iterum scripsit Johannes in Apocalypsi (XXI, 9.); *Veni, et ostendam tibi Sponsam, uxorem Agni.* Et in Evangelio praeclarius (III, 27. et seqq.): *Respondit Johannes* (Baptista), *et dixit...Non sum ego Christus, sed quia missus sum ante illum. Qui habet Sponsam Sponsus est; amicus autem Sponsi, qui stat, et audit eum, gaudio gaudet propter vocem Sponsi. Hoc ergo gaudium meum completum est.*

(a) 2. ad Corinth. XI, 2. Vide S. August. in Johann. cap. 2. tract. 8, §. 4.

(b) Ad Ephesios V, 23, 27, 29, et seqq.

CAPUT V

Figurae tres Propheticae Divinam Incarnationem Messiae Jesu praenuntiantes.

Per omnia praeterea Scripturae volumina Sponsi, Sponsaeque nomine denotari receptum est aeternam conjunctionem totius corporis Ecclesiae, et cujusvis ejus membri cum suo Capite, et primogenito de multis fratribus Christo. Unde etiam animae ad falsa numina divertentis opprobrium foeda adulterii, ac prostitutionis infamia Prophetae fere omnes, tum Hoseas famosa meretrice in conjugem ducta, cum in primis scripto Ezechiel (a) expresserunt.

Ast vero duobus aliis symbolis hujusce unionis mysterium in sacris Litteris praenuntiatur; parabola nempe Coloni (b), ac vineae: aut denique Pastoris (c), et gregis. Quas figuras uno recensitas loco (d) ipse memoravit Christus. Sed hae duae posteriores imagines minus videri poterunt efficaces ad commovendos animos; quam legitimi maritalis connubii hypotyposis, quae divinius

(a) Hoseas capp. I, et III. Ezech. XVI, et XVIII. Sic Apocalyps. XVII.
(b) Isaiae V. Jerem. II, 21. Hos. X, 1. Matth. XXI, 33. Joh. XV.
(c) Ezech. XXXIV. Isai. XL, 11. Johan. X.
(d) Matth. IX. verss. 15, 36, 37.

inter Messiam, atque Ecclesiam futurum sacramentum praefigurabat. Re sane vera Ecclesia cum Verbo Filio Dei copulata est tam interiore communione, et voluntate, quam natura: propterea enim formam Ille hominis assumpturus Beatissimae Virginis MARIAE consensum exquirere dignatus est, quae nomine humani generis totius ad tanta nuptiarum foedera coëunda fuerat jamdiu praeordinata a Deo, atque promissa.

Utque porro inter conjuges conjugatio est secundum arctissimam naturae similitudinem, et corporum commixtionem, quorum ratione duo in carnem unam coalescere dicuntur, osque unius fieri ex alterius ossibus, et caro ex carne; ita conciliatum, sociatumque Humanitati credimus fuisse ipsissimum substantiale Dei Verbum, cumque hominibus pariter conversatum. Funiculis ergo Adam, et vinculis charitatis omnia tracturus ad Seipsum, suae adhaesit Uxori aeternus Hemmanuel: ac tum habitu inventus fuit ut homo; factusque est idem natura cum Sponsa, quam prae *sexaginta Reginis*, *Concubinis octoginta*, atque *adolescentulis innumerabilibus*, id est prae cunctis orbis *Gentibus* dilexit.

Mirifice proinde ait Augustinus (a). « Conjunctio nuptialis Verbum, et Caro; hujus conjunctionis thalamus, Virginis uterus. Etenim caro ipsa Verbo est conjuncta, unde etiam dicitur; -Jam non duo, sed una ca-

(a) Enarrat. in Ps. XLIV. §. 3.

ro-.Assumpta est Ecclesia ex genere humano, ut Caput esset Ecclesiae ipsa Caro Verbo conjuncta, et caeteri credentes Membra essent illius Capitis ». Hanc vero Sponsam (a) « sibi jam conjunxerat in utero Virginis. Verbum enim Sponsus, et Sponsa Caro humana, et utrumque unus Filius Dei, et idem Filius hominis. Ubi factus est Caput Ecclesiae? Ille uterus Virginis Mariae thalamus ejus! Inde processit *tanquam Sponsus de thalamo suo*, sicut Scriptura praedixit ».

CAPUT VI

Pharaonitidi abjurata idololatria, et Proselytae factae primo nupsit Salomon.

Divinus vero in Cantico amor iste unice manifestatur occasione matrimonii, quod Salomon cum prima sua Uxore Pharaonitide inivit. Jamque illa puella prius idololatriam omnem abjurasse, et Proselytarum numero cooptata fuisse sine ullo errandi periculo judicatur. Quod profecto Psalmus ille pulcherrimus eodem compositus negotio indubie in litterae cortice commemorat, ubi (b) dictum est: *Audi Filia, et vide, et inclina*

(a) In Johann. cap. 2. tract. 8. §. 4.

(b) Psalm. XLIV, 10.

aurem tuam; et obliviscere populum tuum, et domum patris tui.

Etiam autem Cantico canticorum verba Hieronymi applicari possunt, quae de Psalmis XLIV; et LXXI *Pacifici*, et *Dilecti* titulo praenotatis tradit (a): nam illi, « tametsi ad prophetiam Christi, Ecclesiaeque pertinentes, felicitatem, et vires Salomonis excedant; tamen secundum historiam super Salomone conscripti sunt ». Quare cum D. Augustinus (b) super Psalmo quadragesimo quarto dixerit: « Non opinor quemquam ita desipere, ut hic aliquam mulierculam praedicari credat, atque describi ». Idcirco sententias hasce Patrum concilianti mihi praesto sunt verba Interpretum, qui insinuant; « Ut immediatus litterae sensus sit de Salomone Typico; sed principalis, et propheticus, et ultimate intentus sit de Salomone vero Christo. Ad eum modum, quo in visionibus Propheticis, verbi gratia Danielis, sensus historicus immediatus est de quatuor illis animalibus, quae ei revera apparuerunt (c); sed sensus praecipuus, et principalis, ac propheticus; quemque Deus per illas imagines, quasi quaedam verba realia voluit significare; sit quatuor Monarchiarum successio, etc. » Sed quo digressus fui redeo.

(a) In Commentario ad Eclesiastis I, 1.
(b) De Civ. Dei lib. 17, cap. 16. §. 2.
(c) Daniel. VII, 3 usque ad finem.

Vetante porro divina Lege (a) cum extraneis iniri connubialia jura, nullatenus Sapiens ille Princeps conjugem sibi alienigenam, et idololatram ducere potuit; eo scilicet tempore, quo dilectus, et justus coram Deo perseverabat. Sinebat autem Lex puellas alienigenas in Israëlitica natione cooptare; ejusque ideo adoptionis ritus exhibentur (b), et tempus morae; sive antequam illa Mosaicam profiteretur Fidem, sive antequam Hebraeum susciperet Maritum. Pharaonitidem vero priorem omnibus regio sibi thalamo adjunxisse Salomonem patet ex historia Regum (c), ubi de hac una fit ideo mentio, quia rei publicae intererat primum solummodo Regis connubium, quo regni haeres obtineretur. Memoratur quoque (d) domus exquisito opere nobilis Ei fuisse a Conjuge exstructa, ut ibi habitaret; quod nulli Salomoniarum postea uxorum obtigisse compertum est.

Quod ad Proselytos, videlicet advenas attinet; sciendum est binas eorum fuisse classes. Alii quippe dicebantur גרי תושב vel שער *proselyti* nempe *domicilii*, sive *inquilini*, qui debebant, quamdiu inter Hebraeos versarentur, se subjicere septem Noachidarum praeceptis. Quae nimirum praecepta leges tradunt de cultu Nu-

(a) Exodi XXXIV, 16. Deuter. VII, 3, et 4.

(b) Numeri XV, 15. Deuteronom. XXIII, 7, 8. et XXI, 11. et seqq.

(c) 3. Regum cap. III, 1.

(d) 3. Reg. VII, 8. et 2. Paralip. VIII, 11.

mini tribuendo; de Deo *benedicendo;* de homicidio; de turpitudinum obtectione; de furto; de judiciis; et de carne animantis viva non comedenda. Secundae classis Proselyti coutebantur iisdem juribus, et sacris, quibus Hebraei, et vocabantur גרי ברית vel צדק *adventitii foederis*, vel *justitiae.* Hi vero legibus omnibus Israëlitarum obtemperare tenebantur; et cooptabantur in Hebraismum Circumcisione (a), Baptismo id est universi corporis ablutione, et Sacrificio. Proselytis vero foeminis totius personae Ablutio erat satis, et Oblatio victimae. Sed Oblationem modo non exigunt Rabbini, contenti voluntate spondentis eam curare offerri, quando Templum Jerosolymae in integrum restituetur. Consule Paulum Slevogtum (b), qui etiam de Salomone sibi Aegyptiam ducente, de Mose Madianitidem habente uxorem, deque Samsone Philistaeam sibi quaerente disserit. Vide etiam alios (c).

(a) Exodi XII, 44, 48, 49.

(b) De Proselyt. Judaeor. et praesertim §. 18.

(c) Hottingeri de Decimis Exercit. 8. §. 8. Thomae Godwini Moses, et Aharon lib. 1. cap. 3.

CAPUT VIII

Cur in Cantici prophetia Sponsi rusticas personas agentes inducantur.

At neque minus apte Sponsi personam induit hoc in carmine Pacificus Davidis natus; de quo nempe, ut speciali Christi figura ait (a) Deus: *Ego ero ei in patrem, et ipse erit mihi in filium.* Cui expositae sententiae favens D. Bernardus (b) admonuit. « Rex iste Salomon... divinitus inspiratus Christi, et Ecclesiae laudes, et.... epithalamii carmen exsultans in spiritu jucundo composuit elogio, figurato tamen. Nimirum velabat et ipse instar Moysi faciem suam; non minus forsitan in hac parte fulgentem: eo quod illo adhuc in tempore nemo, aut rarus erat, qui revelata facie gloriam istam speculari sufficeret ». Suavi interea luserat epithalamio (c) David, una hac diversitate, quod proelia, victoriasque tunc laudaverit; noster autem Vates, ne paulum regio deesse nomini in amatorios prolapsus sensus videretur, sub agentium pastorum simplicitate Se, Aegyptiamque

(a) 2. Regum VII, 14. Etiam 1. Paral. XXII, 10. atque ad Hebraeos I, 5.

(b) Sermone primo in Cant.

(c) Psalm. XLIV. qui dicitur *Canticum pro dilecto.*

Puellam occultavit. Ratione etiam adductus, qua Judaei innocua nomadum vita, gregumque studio oblectabantur; quae nimirum beata munia professi olim fuerunt, atque commendarunt Patriarchae. Negari enim non potest sapientissimo id consilio fuisse factum : quo postquam Memphiticam sibi conjugem adscivisset Salomon; eamdem hanc aptissime sub persona villicae agentem Virginis induxit, seseque sub Pastoris habitu finxit colloquentem. Itaque mirificentissime mores illi duarum Nationum charactheristici exprimi videntur. Etenim Israëlitae omnes inter universas fere priscas Asiae, atque Europae gentes pastores perpetuo curiosissimi extiterunt (a), adeo ut non solum nobiliores ex iis viri, et litteraturae dediti, sed Prophetae pariter, ac Sacerdotes, principesque Magistratus upiliones esse nunquam sint dedignati. Populis autem genitis a Mizraimo nihil agricolarum professione communius, nihil utilius, religiosiusve fuit. Nec eorum Reges a cultura agrorum abhorrebant; eo quod omnia rura, et praedia Aegypti, abhinc a septennio illo famis sub Josepho Justo Prorege, in dominio erant, et possessione absoluta Pharaonum (b). Cui alia ratio accedit ex consideratione topographiae soli Aegyptiaci, quod fertilissimum an-

(a) Gen. XIII, 5, 6. XLVI, 32, et 34. Exod. III, 1. Num. XXXII, 4. et 24. Paralip. XXVII, 29. et 2. Par. XXVI, 10. XXXV, 7. et 2. Reg. XIII, 23, 24.

(b) Gen. XLVII, 20, et 23.

nuatim reddebant Nili alluviones: quare terminos agrorum primi invenisse illi populi feruntur, atque ob hortorum culturam in primis excelluisse. Quibus expositis, quis in rustica nostri Dramatis Sponsa, aliam recognoscere possit nisi Aegyptiam? Aut quis, excepto Salomone, fuisse liquet Typicus ille Pastor, cujus in Cantico nuptiae celebrantur?

Neque illud indecorum quod potentissimus, totoque orbe terrarum celeberrimus (a) Monarcha pastorem egerit, quatenus recordamur cuncti Reges a Scriptoribus sacris, profanisque ποιμένες λαῶν appellari; tum Parentem suum Davidem de pascuis sequentem greges ad Israëlem ducendum processisse: cum denique ut ille similior appareret Bono Pastori (b), qui venturus erat, ut salvum faceret quod in mundo perierat, vitam usque suam pro ovibus positurus.

(a) 2. Paral. IX, 22, 23. et 3. Reg. III, 13, et IV, 34.
(b) Johan. X, 11. Luc. XV, 4. Isai XL, 11. Ezech. XXXIV.

CAPUT VIII

Opinio Bossueti de distributione hujus Carminis per septem nuptiarum dies.

« At postquam antiquos mores imitatus Eclogam canere aggressus est, eam in septem dies divisisse videtur. Neque enim diei, ac noctis passim in hoc Cantico recurrentis vices temere memoratas arbitrari nos decet. Quid enim illud semel, bisque inculcatum (a); *Adjuro vos... ne evigilare faciatis Dilectam:* et illud *Donec aspiret dies, et inclinentur umbrae* (b), haud minore studio repetitum? Nonne perspicue indicat aliquot dierum, ac noctium seriem? Quid quod Sponsus bis per noctem a Sponsa quaeritur, Sponsa bis in custodum cadit manus (c) diversissimis circumstantiis? An haec temere effutita, Sponsaque nullo ordine dormitat, aut vigilat? Quis hoc de pulcherrimo, atque artificiosissimo carmine crediderit? Aperte ergo indicat Salomon hic distinguendos dies, eorumque initia ubi obscurius latent, tamen esse inquirenda: neque enim

(a) In Cantico II, 7, et III, 5.
(b) In Cantico II, 17, et IV, 6.
(c) Ibidem III, 3, et V, 7.

omnia eodem tenore dici, artis, ac variandi operis ratio sinebat. Cur autem has somni, et vigiliae, dieique, ac noctium vices ad septenum numerum revocaremus causa in promptu fuit; quippe quod Hebraeis usitatum, ut nuptias per septem dies celebrarent. Unde Laban Jacobo se delusum querenti propter inductam loco Rachelis Liam; *Imple*, inquit (a), *hebdomadam dierum hujus copulae, et hanc quoque dabo tibi.* Et ab ipsa origine mundi, propter requiem Domini septem dierum circulus multis quidem populis, ac Patriarchis maxime, eorumque posteris commendatus est. Manavit enim ad universam gentem mos, omnia fere solemnia per hebdomadam peragendi; hinc et luctus septem dierum (b), et festi dies fere in hunc morem compositi (c), maxime vero nuptialis festivitas. Sic Samson ducta uxore Philistaea (d) septem dies convivii agitabat.... Hujus rei constans est apud Judaeos traditio expressa in primis a Rabbi Eliezer in Sententiis patrum (e); adeoque hujus ritus tenaces esse memorantur, ut qui plu-

(a) Genes. XXIX, 27.

(b) Iob. II, 13.

(c) De festo Tabernaculorum Lex inquit (Deuter. XVI. verss. 13, 14, et 15.) *Solemnitatem quoque Tabernaculorum celebrabis per septem dies.... Et epulaberis in festivitate tua tu, filius tuus, et filia, servus tuus, et ancilla, Levites quoque, et advena, pupillus, ac vidua... Septem diebus Domino Deo tuo festa celebrabis... erisque in laetitia.*

(d) Jud. XIV, 12.

(e) Pirke Aboth cap. 16.

res Sponsas simul duceret, cum Singulis singulas hebdomadas epulares impendere, easque cum aequalibus adolescentulis, choreis, et lusibus peragere doceant. Congruum ergo Salomoni visum est septem dierum spatio carmen nuptiale definire ».

Huc usque Bossuet (a), cujus opinionem de distinctione hujus Poëmatis in septem dies propriis verbis enarravi.

CAPUT IX

Momenta J. D. Michaëlis, etc. oppugnantia Bossueti hypothesim proponuntur.

Sed contra sunt J. D. Michaëlis, qui nullam dierum distinctionem admittere, et Ferdinandus Salazar, qui per quatuor nuptiarum dies Carmen partiri conantur. Miratur Michaëlis (b) quomodo Sponsus gregis pascendi causa tota hebdomade, ipsa inter solemnia sponsaliorum non ferietur, sed labori serviat suo: quare itidem vineam Sponsa custodiat, Juvenisque una nocte reditum sibi Chari frustra exspectet. Neque epulo nuptiali per septem dies duraturo locus relinquitur; mirum

(a) Praef. in Cantici Notas.

(b) J. D. Michaëlis notae ad Lowthi Diss. de Sacra Hebr. Poësi Prael. 30.

denique « primae noctis nulla cani gaudia, non pompam comitantium; nuspiam adclamationes, cantica, bona verba audiri convivarum ereptam virginitatem, cujus ad eos indicium deferri solet, more Orientali gratulantium. Cujus moris antiquitatem colligere licet ex lege Mosaica (a) ».

Haec vero, addit ille, est compendiaria totius operis distributio ex mente Bossueti.

« Dies primus: Cap. I, usque ad — II, versu 6.

Secundus dies: Cap. II, 7. — 17.

Dies tertius: Cap. III, — V, 9.

Dies quartus: Cap. V, 2. — VI, 9.

Quintus dies: Cap. VI, 10. — VII, 11.

Sextus dies: Cap. VII, 12. — VIII, 3.

Septimus dies: Cap. VIII, 4. — 14.

« .... unum certe diem ex hebdomade Bossueti demendo, quem ille conjecturae suae studiosus qualibuscunque indiciis invenerat, ita faciam, ut simul elegantissimam Cantici scenam (b), quantum possum, illustrare, et venustate sua commendare lectoribus studeam. In cellam vinariam pomis quoque refertam, (antrum credo frigidius, quales cellae pastorem decent), Amicus Amicam introduxerat... Versu sequente victam se fatebitur, in herbis, pomorumque

(a) Deuter. XXII. a v. 13, ad 21.

(b) Capite II. a versu 3 ad 9.

cumulo prolapsam, ac recubantem Amici inter brachia capiti subjecta, corporique toti circumvoluta... Quid porro contigerit, intersitque inter lapsum Amicae, et somnum, facile existimatu est; igitur verecunde a Poëta subticetur. In dulcem tandem somnum solvitur; adstat Amicus, formamque dormientis admirans longum denuo amorem bibit. Superveniunt urbanae virgines, sub vesperam credo, ut ruris deliciis fruantur: his garrulitate, et strepitu molestis futuris, obvius prodit Amicus, obtestaturque eas per *capreas*, et *cervas* chara Orientalibus foeminis animalia, inque deliciis habita ut canes nostris, ne dormientem turbent. Audit Amica vocem Amici, cui unice etiam dormiens attendebat, expergiscitur; exclamat! Ille vento citius relictis virginibus redit.

« Hac scena quid mollius? quid elegantius? canticove amatoris dignius?... Sed autem nullum relinquetur in versu sexto noctis indicium, nec in septimo matutini temporis. Somnus Sponsae diurnus fuerat, ac meridiationi similior; non in lecto, sed in antro vinario pomis referto, in quod bibendi, frigorisque captandi causa invitata secesserat. In ejusmodi antro, inque herbis noctem agere non est mollium foeminarum, quas ros nocturnus laederet. Hoc autem uno die dempto, dissolvitur statim illa nuptialis hebdomas, qua tota Bossueti nitebatur hypothesis ».

CAPUT X

Refellitur Michaëlis, et qua anni tempestate hae factae sint nuptiae, statuitur; Coccejus inde citatur, qui septenariae favet Cantici partitioni.

Ad ea momenta respondens praemitto in primis Carmen hoc vera unitate gaudere; et continuo sibi cohaerere: ita ut in septem opellas, seu cantica illud dissecando, miserabile Absyrti funus repeteretur tristissimae manibus Medeae dilacerati. Quod sane est nefas! Negatur autem in praecalida Palaestina regione mollibus displicere juvenculis, frui antrorum umbris, atque captare nocturna frigora ea tempestate, de qua hic sermo; nempe Vere jam abeunte, et Aestatem praenuntiantibus ficubus, *quae protulerunt grossos suos* (II, 13). Sub aestivae siquidem tempestatis initiis easdem evenisse nuptias nemo dubitabit, qui animum parumper appulerit ad comparandum agri, vinearumque praesentem tunc statum (a) a Salomone solertissime descriptum. Neque secundo haec in antro scena accidisse evincitur; nam בית יין posset significare *cellarium poculentorum*, et Michaëlis ait *credo;* sic quoque significat *do-*

(a) Cant. VI, 10. VII, 13. I, 5. V, 1.

lium, et *vas* omne *vinarium:* sed primo, atque communius interpretatur *aula convivii*, et respondet alio vocabulo Hebraico משתה; in qua non asservatur, sed potatur vinum, Graecisque ipsis vocatur συμπόσιον, est enim unicuique linguae Synonymum proprium.

At quid ex contextu narrationis, etiamsi vocem illam בית ambiguam esse fateremur, certius concluderetur de haece Sponsi, Dilectaeque familiaritate, quam contra omne decus adstruit Michaëlis? Quia virgines urbanae non superveniunt, ut ipse *credit* ad vesperam; sed scenae (a) adstant Chori: debuisset Vates testes admittere juvenes, puellasve pleno die hujus negotii, ad quod Paranymphi (b), vel cognati, affinesque tantum cordati nocte prima testes foras adesse permittebantur ex Deuteronomii lege.

Ferdinando Salazar nil contradicimus: quippe opus Graeca, Latinaque eruditione perquam spectabile (c) composuisse visus est magis; quam Hebraeorum mores fideliter assequi; contendens quatuor diebus fieri solemnes nuptias Israëlitarum, quod explicatione non adeo felici evincere (d) tentavit.

Sciendum tamen est Coccejum aliter nostrum Can-

(a) Consule Capitis II, 5 et 7.

(b) Seldeni Uxor Hebr. lib. 2. cap. 16. et lib. 3. cap. 1.

(c) Cantici cant. allegorica, mystica, hypermystica... expositio.

(d) Ibidem, Isagoge cap. 3. §. 3, et 6.

ticum nempe Ecclesiae Novae Legis applicare: sed septenariam ipse quoque partitionem secutus, eam ita probat (a). « In partitione hac.... fatemur nos libenter eam distributionem accommodare numeris, qui in aliis Libris propheticis definiti sunt. De Apocalypsi constat ejus argumentum septem Epistolis, septem Sigillis, et septem Tubis contineri, qui septenarius (numerus) complectitur tempus a Christi in coelum ascensione recurrens. Nos igitur, quum post primos versus Capitis (hujus Cantici), qui prologi vice sunt, et ostendunt Christum post manifestationem in carne in coelum sublatum, totuplicem formam Ecclesiae reperiremus, facile in ea partitione acquievimus ».

Quae divisio partes alias exhibet aequo minores, vel prolixas (b) plusquam credibile sit: namque Auctor perperam applicare vult tempora malae ominatae suae *Reformationi.* Qua tamen *reformatione* neque indiget, neque est capax Catholica Ecclesia, utpote quae Spiritum Paraclitum habet indivisibilem a se Magistrum (c): cum qua immo Jesus Christus Filius Dei vivi, verusque ejus Sponsus, erit usque ad saeculi consummationem (d); et quam ipse, visibiliter etiam per

(a) Cogitationes de Cantico cant. vide adnot. ad Cant. I.

(b) In Synopsi, et Medulla prophetiae Cantici.

(c) Johan. XIV, 16, 17, 18.

(d) Matth. XXVII, 20.

Vicarium suum Petri (a) Successorem, custodit, nutrit, ac fovet.

De Coccejo autem illud commonuisse satis esto: qui forte, si bene memini, a Cosma Hortulano ideam hanc applicandi Canticum canticorum successivis Ecclesiae Christianae temporibus desumpsit.

CAPUT XI

Bossueti opinionem probant Eruditi; cujus analysim exhibent Biblia hispanica P. Philippi Scio.

Interea supra relata opinio Illustrissimi Bossueti tantam habet veritatis similitudinem, ut universim eamdem Eruditi probaverint. Qua de causa legitur in Bibliis Hispanica lingua versis ab Amat (b). « El Cantar de cantares está escrito á manera de los poemas Orientales, ó Dramas, que se representaban en las fiestas de una boda, que duraban siete dias.

« En estos siete dias (c) los Novios estaban acompañados de dia, y de noche de cierto número de jóvenes de su sexo, y edad, que se les destinaban para su obse-

(a) Matth. XVI, 18, 19. Luc. XXII, 32. Isaiae LIX, 21.

(b) La Biblia traducida al Español por D. Félix Torres Amat. Notas al Cantar de Cantares.

(c) Vide la Advertencia.

quio, y se llamaban Amigos del Esposo, de que se hace mencion repetidas veces en las Escrituras. Durante estos dias los recien desposados no se veían sino raras veces, y con mucha ceremonia. Y estas vistas de Salomon con su Esposa en los siete primeros dias, ó siete noches de las bodas, bajo diferentes formas, ó representaciones hacen el objeto histórico de estos ocho Capítulos, ó Cantares. Mas cada uno de estos Cantares incluye su accion, ó suceso propio, aunque todos forman un mismo Epitalámio en la letra, y unos mismos misterios en el sentido espiritual ».

Ista itaque objectionem (a) J. D. Michaëlis oppugnant. Ad quae addidit clarissimus P. Philippus Scio novum lumen, distributionem Bossueti lectoribus repraesentans, veluti in tabula depictam (b). « Estos ocho Capítulos, ó Cánticos, ille scripsit, se pueden distinguir con el docto Obispo Bossuet en esta manera.

« En el Cap. I. se representan estos Esposos en figura de Pastores; y la Esposa pregunta al Esposo el lugar adonde conduce su ganado a sestear durante los ardores del mediodia, para concurrir ella con el suyo al mismo sitio. Luego sigue la primera noche de los desposorios indicada en los vv. 3, 4, 5, 6 del Cap. II. La

(a) Superius Cap. IX.

(b) La Biblia en Español por el P. Felipe Scio de S. Miguel de las Escuelas Pias etc. Advertencia sobre el Cántico de los cánticos.

segunda noche se expresa en el v. 9. y el Esposo se presenta a la ventana donde le aguarda la Esposa, que le introduce en su casa, y muy por la mañana se retira al campo. La tercera noche tardando a venir el Esposo, sale ella en busca suya, y habiendolo encontrado lo conduce a su morada, como se ve en el Cap. III, 1, 2, 3, 4. Por la mañana sale el Esposo para que vaya a verla, Cap. V, 1: el cual dexa despues el convite donde estaba con sus amigos, y no abriéndole la Esposa, se vuelve a su jardin. Pasa la Esposa a buscarlo, y despues do haber sido maltratada por las guardas de la Ciudad, se encuentra con el Esposo, Cap. VI, 1; y esta es la cuarta noche. El Cap. VII, 1. nota la quinta noche, y el Esposo en ella repite las alabanzas de la Esposa, saliendo al otro dia ambos de compañía para pasar a una casa de campo vv. 11, 12, 13. Y en casa de la Madre del Esposo pasan la sexta noche: Cap. VII, 13. La séptima noche Cap. VIII, 5. la pasan en el jardin, segun el razonamiento, o diálogo, que allí se expresa. Baxo de este aspecto, y economía será fácil el distribuir este divino Poema en siete como diálogos, y diferentes vistas de los Esposos ».

Atque ista quidem universa cum sint optime dicta, decenterque probata non sunt rejicienda a quolibet viro; cui secundum communissimam omnium sententiam id Canticum esse pateret ὀαριστύς, quatenus nempe in eodem varia duorum inter sese Amantium collo-

quia miscentur. Quod sicui sorte obtigerit demonstrare verum istud esse, absolutumque Drama; integrum eidem erit aliam invenire, et sequi dramaticam partitionem: quin imo nulli sane aderunt Lectores morosi adeo, ut aliquas inconcinnitates inibi reperientes, operam suo pretio fraudarent. Quandoquidem aliquid condonetur oportet temporum illorum ignorantiae, ac necessitati, in quibus Ars dramatica tanquam primo inventa a Salomone apud Hebraeos evinceretur, antequam ne imperfectissima quidem edidisse rudimenta apud Graecos legatur.

PARS TERTIA

CANTICI OSORES HAERETICI: OBJECTIONES ALIQUOT: ET BONI MALIQUE INTERPRETES RECENSENTUR.

CAPUT I

Qui Canticum Ezechiae Regis tempore scriptum volunt, refelluntur auctoritate Theodoreti, et Calmet.

DISPUTATIONIS nostrae veritatem labefactare satagunt objicientes aliqui Thalmudistae, et Rosenmüllerus. Hoc Canticum Ezechiae verius Regi, aut coaevo cuidam Scriptori adscribi oportere, non Salomoni; cui item neque Ecclesiastes, nec Proverbia sunt tribuenda. Id enim comperire est animadvertenti cuique stylum inconcinnum, et obscuriores ingenii lusus, qui auctorem Davidico saeculo arguunt seriorem. Quamobrem extat Praefixum ש, et vox פרדס, et constructiones Chaldaicam, Aramaeamque mixtionem referentes.

Adversum quos, ne longius quam deceat, a proposito digrediar, Ecclesiae universalis auctoritatem, traditionemque indubiam doctorum hominum opponens (a), dico Sapientissimum Vatem stylum in genere tempori, subjectisque accommodatum adhibere debuisse, ut potentissimae suae mentis testimonia praeberet. Ad rem Hieronymus, atque fusius Theodoretus, qui ait (b):

Καὶ τοῦτο δὲ προειπεῖν ἀναγκαῖον, ὡς τρία τοῦ Σολομῶντος ἐδιδάχθημεν εἶναι συγγράμματα, τὰς Παροιμίας, καὶ τὸν Ἐκκλησιαστὴν, καὶ τὸ Ἆσμα τῶν ᾀσμάτων. Καὶ αἱ μὲν Παροιμίαι τὴν ἠθικὴν ὠφέλειαν τοῖς βουλομένοις προσφέρουσιν· ὁ δὲ Ἐκκλησιαστὴς τῶν ὁρωμένων ἑρμηνεύει τὴν φύσιν, καὶ τοῦ παρόντος βίου τὸ μάταιον ἐδιδάσκει, ἵνα μαθόντες αὐτῶν τὸ ἐπίκηρον, ὡς παριόντων καταφρονήσωμεν, καὶ τῶν μελλόντων ὡς μενόντων ἐπιθυμήσωμεν· τὸ δὲ Ἆσμα τῶν ᾀσμάτων τὴν μυστικὴν συνάφειαν τῆς Νύμφης, καὶ τοῦ Νυμφίου διδάσκει. Ὡς εἶναι τὴν πᾶσαν τοῦ Σολομῶντος πραγματείαν κλίμακά τινα, τρεῖς ἔχουσαν τοὺς βαθμοὺς, τὸν ἠθικὸν, τὸν φυσιολογικὸν, τὸν μυστικόν.

(a) Canticum esse tradunt opus elegantissimum ex Latinis Augustinus, Gregorius, Ambrosius, Bernardus, Anselmus, Thomas, Rupertus, etc.: ex Graecis Nyssenus, Basilius, Chrysostomus, Cyrillus, Nanzianzenus, Origenes, Philo, Psellus: ex Hebraeis RR. Akiba, Eleazar, Jarchi, Aben Hezra, Kimchi; quin memorem recentiores Tirinum, a Lapide, Mercerum, Calovium, Calmet, et Bossuet, qui etiam in Praefatione Ecclesiastis §. 5. de puritate eloquii Salomonii plura adducit.

(b) Prologo in Cant. prope finem.

In Cantico denique dictiones forte aliunde ortas, et rite adoptatas, pastoribus tamen colloquentibus familiares, decentesque sententias bucolico more concinnari satis, superque fuerat.

Audiatur Augustinus Calmet (a) in Cantici hujus Praefatione. « Le style du Cantique est proportionné à la nature des choses, qui y sont traitées. Il est tendre, vif, animé, délicat; et à ne regarder cet écrit, que comme un ouvrage humain, il a toutes les beautés, dont une pièce de cette nature est capable. L'Epoux, et l'Epouse y expriment leurs sentiments par des tours figurés, et énigmatiques, et par des comparaisons, et des similitudes tirées des choses de la campagne. On y parle souvent de parfums, d'aromates, de fruits, de vins, de jardins, de fontaines. C'était tout ce qu'on connaissait de plus délicieux dans le pays. Les comparaisons sont quelquefois un peu guindées, et un peu fortes: mais on doit donner quelque chose au génie des Orientaux, et à la vivacité de l'amour ».

Haec vero sermonis cum subjecto mira concordia miraculum est, quo certiores nos de Auctore sumus, qui sublimissima docere mysteria aggressus est, et quin unquam a dignitate tanti deflecteret argumenti, rusticorum simulare pene dialectos unius ope Sapien-

(a) Commentaire littéral sur tous les livres de l'A. et du N. Testament. Tome cinquième.

tiae potuit extrema comprehendentis, atque collimantis. Oppido locutiones objectae rarae sunt, sed in aliis Scripturae sacrae locis non adeo insolentes: quod etiamsi fuerint, nunquam Libri ipsius antiquitatem abbreviarent; sicuti multiplices dictiones, phrasesque Arabicae, et Chaldaicae nihil Iobi vetustissimae Historiae detrahunt. Quem nihilominus Librum jam Docti quamplurimi antiquiorem Pentatheuco Legis aestimare volentes, dum vitia super oppugnata vitant, in contraria currere mihi videntur.

His expositis de Cantici antiquitate, et elegantia, nunc objicientes interrogare mihi liceat: ubinam etenim mentio fit Ezechiae Regis alia componentis Carmina eo excepto, quod memoratur (a) in Sacris Litteris? Aut, siquis alius pio illi Monarchae coaevus Vir extiterit, qui famosissimum hoc Drama composuit, curnam ejus excidit Auctoris nomen? Curnam ne de illo quidem aliquid suspicati sunt vetustiores, accuratissimique Hebraei, Graeci, et Latini? Ego autem hoc scio, quod si poëma istud totum legatur, in eodem Regium nomen Salomonis Filii Davidis plus decies vicibus memoratum occurrit (b); ut titulum praeteream, qui in Libri fronte praemissus est ad Auctorem denotandum.

(a) Isaiae XXXVIII.

(b) Conferenda sunt loca III, 7, 9, 11. VIII, 11, 12. I, 3, 4, 11. V, 10. VI, 7, 8. VII, 1, 5. contra Lyranum asserentem non adesse nomen proprium Sponsi, neque ex tota hac Scriptura certo liquere.

CAPUT III

Lyrano respondetur; sub historia enim humani conjugii decentissime Verbi Incarnatio praefiguratur: Chrysostomi dicta.

Sed urget Lyranus (a): « Licet hic amor Salomonis, et Filiae Pharaonis potuerit esse licitus utpote intra limites matrimonii contentus, tamen carnalis fuit, et frequenter habet talis amor aliquid inhonestum, et illicitum adjunctum, propter quod descriptio talis amoris non videtur ad libros Sacrae Scripturae canonicos pertinere, maxime quia hujusmodi libri dictante Spiritu Sancto sunt conscripti ». Gravem hanc objectionem diluens concedo, omne illud, quod per se inhonestum revera est, sub eo ipso respectu, a Typo prophetico esse forte excludendum: *Testimonium enim Jesu est spiritus prophetiae*, ut ait Johannes (b).

Sed objectae rationes nimis ultra extenduntur; nisi intelligantur nihil obstare sanctitati figuratarum rerum ea accidentia, vel imperfectiones, quae Typo contin-

(a) Bibliorum Sacrorum Tomus tertius cum Glossa ordinaria, et Postilla Nicolai de Lyra: ad Cantici Cap. I.

(b) Apocal. XIX, 10.

gunt fortuito; quaeque potius ab humana conditione inseparabilia cum sint, haud solent ipsi homini typico imputari ad culpam. Nae Deum jubemur praecipue colere in spiritu, et cordis veritate: quo factum est, ut eodem spiritu informati Jacob in appetendis, ducendisque uxoribus, Hoseas in comparanda sibi conjuge fornicationis, et caeteri quidam Patriarchae maximae sanctitatis, digni idcirco extiterunt, ut iisdem illis in matrimoniis, Redemptoris venturi prophetice connubium cum Ecclesia praemonstrarent. Quare si in oblatis exemplis nuptiae, licet carnales, a figura maximi illius Sacramenti perhibenda neutiquam arceantur; cur istae Regiae inde respuuntur ejus tunc Salomonis monogami, Deo dilecti, sapientissimi Prophetae, ideoque in tota conjugii celebratione ordinate agentis? Ait sane Chrysostomus (a): Οὕτω καὶ ὁ Πατὴρ αὐτοῦ ἐγνωρίσθη ἀπὸ τῆς κτίσεως πρῶτον, τὰ γὰρ ἀόρατα αὐτοῦ, φησὶν ὁ Παῦλος, ἀπὸ κτίσεως κόσμου τοῖς ποιήμασι νοούμενα καθορᾶται· διὰ δὴ τοῦτο καὶ αὐτὸς σχηματίζει πολλάκις ἑαυτὸν εἰς αἰσθητὴν ὄψιν, κατὰ μικρὸν ἀνάγων τὸ γένος τῶν ἀνθρώπων ἐπὶ τὰς ἀσωμάτους ἐννοίας. Καὶ τί θαυμάζεις, εἰ ἐπὶ τῶν δογμάτων οὕτως ἐχρήσατο τῇ οἰκονομίᾳ, ὅπου γε καὶ ἐπὶ τῶν παραγγελμάτων, καὶ ἐπὶ τῶν ἐντολῶν αὐτὸ τοῦτο ποιεῖ;

(a) Expositione in Psalmum XLIV. §. 8.

CAPUT III

De veterum Patrum nuptiis multiplicibus sententiae Augustini, Chrysostomi, et Origenis.

Audiendus porro est Augustinus (a), qui sapientissime in re praesenti haec loquebatur: « In hujusmodi moribus quidquid illorum temporum Sancti non libidinose faciebant, quamvis ea facerent, quae hoc tempore nisi per libidinem fieri non possunt, non culpat Scriptura. Et quidqnid ibi tale narratur, non solum historice, ac proprie; sed etiam figurate, ac prophetice acceptum, interpretandum est usque in finem illum Charitatis sive Dei, sive proximi, sive utriusque ». Iterum in libro de Bono Conjugali (b): « Illis temporibus, ipse ait, cum adhuc propheticis sacramentis salutis nostrae mysterium velabatur, etiam qui ante nuptias tales (continentissimi) erant, officio propagandi nuptias copulabant non victi libidine, sed ducti pietate.... Proinde sicut Patres temporis Novi Testamenti ex officio consulendi alimenta sumentes, quamvis ea cum delectatione naturali carnis acciperent; nullo modo

(a) De Doctr. Christ. lib. 3. cap. 12. §. 20.

(b) Capp. 13. §. 15, et 16. §. 18.

tamen comparabantur delectationibus eorum, qui immolatitio vescebantur; aut eorum, qui quamvis licitas escas, tamen immoderatius assumebant: sic Patres temporis Veteris Testamenti consulendi officio concumbebant. Quorum delectatio illa naturalis nequaquam usque ad irrationalem, aut nefariam libidinem relaxata, nec turpitudini stuprorum, nec conjugatorum intemperantiae conferenda est. Eadem quippe vena Charitatis nunc spiritaliter, tunc carnaliter propter illam matrem Jerusalem propagandi erant filii; sed diversa opera Patrum non faciebat nisi diversitas temporum. Sic autem necesse erat, ut carnaliter coirent etiam non carnales Prophetae; sicut necesse erat, ut carnaliter vescerentur etiam non carnales Apostoli ».

Quibus perpensis, et praecipue postremo hoc commate Augustiniano; dico interea quod carnales res, illaeque in primis, quae culpa carent, saepe pro figura invisibilium, et futurorum in Veteri Lege adhibitae reperiuntur: atque sic monogami Salomonis nuptiae, quas pietate patriarchali motus inivit, Christum Jesum aptissime repraesentavere Sponsam sibi ducturum. Vide, si quid aliud adhuc difficile intellectu obstat, ea etiam, quae innuit D. Thomas Aquinas (a).

Sed quid recenseam sanctorum facta Patriarcharum, qui uxori adhaerentes officio religionis, pietatisque fun-

(a) In Additione ad Summam Quaest. 41. art. 4.

gebantur necessarie? Cur etiam referam illud Chrysostomi effatum (a); ἐπιθυμία γὰρ δικαίαν πᾶσα ἀγαθὴ, καὶ ἐπιθυμία δικαίου δεκτή; Si ipse Archiepiscopus alibi (b) diserte praedicaverit: Τί οὖν ὁ Χριστός; ἀπὸ Παρθένου μέν· ἀλλ' εἰς γάμον παρεγένετο, καὶ δῶρον εἰσήνεγκεν. Οὐκ ἔχουσι γὰρ, φησὶν, οἶνον· καὶ τὸ ὕδωρ οἶνον ἐποίησε, τῇ παρθενίᾳ τὸν γάμον τιμῶν, τῇ δωρεᾷ τὸ πρᾶγμα θαυμάζων. Ἵνα μὴ βδελύσσῃ τὸν γάμον.

Cui consentit Origenes Adamantius (c). Etenim « Omnes, ait, animae motiones universitatis conditor Deus creavit ad bonum.... unus de animae motibus amor est, quo bene utimur ad amandum; si sapientiam amemus, et veritatem: quando vero amor noster in pejora corruerit, amamus carnem, et sanguinem. Tu igitur, ut spiritalis, audi spiritaliter amatoria verba cantari, et disce motum animae tuae, et naturalis amoris incendium ad meliora transferre ».

Etiam igitur ex his Patrum placitis convincitur quisque, quod Salomoniae nuptiae non sunt negandae, verus Ecclesiae Verbique nuptiarum Typus fuisse. Denique Augustinus, si quid residuum fuerit, omne dubium radicitus evellit dicens (d). « Procul dubio in

(a) In Synopsi libri Proverb. ubi Capite XI, 23. dicitur; *Desiderium justorum omne bonum est.*

(b) Homil. 4. in illud *Vidi Dominum:* Isaiae VII.

(c) Homil. 2. in Cantico, ex versione S. Hieronymi. §. 1.

(d) Enarratione in Psalm. LXXVII. §. 3.

bonis rebus multo amplius boni est in eo, quod per figuram significatur, quam in ipsa figura... sicut terra promissionis, quo ille populus ducebatur, in comparatione regni coelorum nihil est, quo Christianus populus ducitur ».

CAPUT IV

Calovio non admittenti Typum, ut caeteris etiam Lutheranis contradicitur.

Calovius vir inter Haereticos magnae doctrinae eamdem repetens difficultatem, « Neque vero, inquit (a), id quaeritur... an Salomon occasione, et sensu suavitatis amoris sui connubialis de suavissimo, et castissimo amore Sponsi Mystici cecinerit; quod citra detrimentum veri, et genuini sensus a Spiritu Sancto in hoc Cantico intenti concedi posset...; sed de eo quaestio est, an Spiritus Sanctus Salomonis amorem quidem proprie, et directe describat; sed eodem simul typice amorem Christi designet, cujus Typus Salomon fuit. Neque vero id prorsus negamus, Typum fuisse Salomonem Christi in amore etiam erga conjugem suam, certa

(a) Biblia illustrata V. Testamenti Tom. I. part. 3. Ad Canticum annotat. Praefatio.

ratione: sed hic Typum illum, vel Salomonis amorem describi negamus ».

Caveant interim Orthodoxi ab subtilibus ejusmodi distinctionibus mire ad Cantici decentiam servandam excogitatis: Lutherus enim, sociique sui quo consistat Matrimonii sanctitas ignorare volunt, ejusque indissolubile vinculum, *unius* viri cum *una* muliere, abrumpunt, foedant, venumdant, si quis potens Vir expostulet

« Dedecorum pretiosus emptor » (a).

Dum mihi discutiendae modo sumuntur Calovii rationes, qui cum reliquis Lutheranis allegorias rejicere debet, et ignorare omnino, fatentibus idipsum etiam Zuinglianis, quid sit sensus Typicus, et Figuratus. Itaque ajebat eorum Antesignanus (b): « Otiosi, et ineruditi Monachi, et Scholastici doctores nugati sunt, qui tradiderunt quatuor esse sensus Scripturae Lit-

(a) Histoire des variat. des églises Protest. par Bossuet. T. 2. liv. sixième.

(b) In Commentar. Cap. IV. Epistolae ad Galatas. Operum tom. 1. fol. 118. Edit. Jenae 1611. apud Tob. Steinman. Sed leve hoc Luthero, qui ibidem fol. 98. ne immaniora producam, de Moyse inquit. « Si prudens es, longissime ableges Mosem balbum, et blaesum cum sua Lege (*Decalogo* in primis); neque ullo modo te moveant terrores, et minae ipsius. Hic simpliciter sit tibi suspectus, ut haereticus, excommunicatus, damnatus, deterior... Diabolo !! »

Euge ! sed contra ejusmodi *genimina viperarum*, *ex patre Diabolo* homines, jam Christus dicebat (Johann. V, 46, 47): *Si enim crederetis Moysi, crederetis forsitan et mihi; de me enim ille scripsit. Si autem illius litteris non creditis, quomodo verbis meis credetis ?*

Ideo Lutherus totum Canticum explicat de regni Politia sub Salomone tunc vigente. Tom. 4. fol. 227. et seqq.

teralem, Tropologicum, Allegoricum, et Anagogicum... His insulsis, et nugacibus fabulis, quibus discerpserunt Scripturas in tot sententias, fecerunt, ut de nullis rebus conscientiae certo erudiri potuerint ».

Etiam propter hanc causam Lutherus de S. Dionysio Areopagita blateravit (a): « In Ecclesiastica Hierarchia Dionysius ludit in allegoriis; quod est otiosorum hominum studium ». Primum autem argumentum, quod objicitur ex collatione epithetorum, quae Sponsae naturaliter non conveniunt, refellitur ex eo, quod Orientalibus populis naturalis, antiquissimusque fuit mos loquendi hyperbolice, et emphatice; immo per omne troporum genus intemperantius discurrendi etiam in familiaribus colloquiis, ut supra Biblicis exemplis fusissime (b) demonstravi.

Alia opponitur ex Patrum consensu deprompta ratio: sed ob allata testimonia, nisi clariora, et minus illusoria exhibeantur, nil contra praesentem disputationem concluditur. Mihi quippe, quantum valui, curiosa Veterum, Novorumque Ecclesiae Doctorum collatio suscepta est, ut communis, deque fontibus ipsis verior Patrum sententia erueretur. In quo arduo labore patuit, historiam plerosque Salomonaei connubii praetermisisse consulto, quibus necesse tunc fuit evincere

(a) Salmeron. In Evang. hist. T. 1. Prol. 7. At sensum Allegoricum non *Monachi;* sed Apostoli, et SS. PP. Augustinus, Hieronymus, etc. *tradiderunt.*

(b) Partis primae Capite XI.

quod Auctor Cantici Θεόπνευστος vere extiterit. Ipsi siquidem illi, ac Theodoretus, Origenesque praesertim, non suas hac in re evolvere tuto eruditiones; sed necessitate temporis, Libri hujus, et loci id jubente, aggressi sunt carnales, callidosque Haereticos refutare, qui inde ansam capessebant, ut Canticum uxoriis unice cupidinibus assentari dictitarent.

His etiam contradicens Augustinus opus habuit scribere (a): « Canticum canticorum spiritalis quaedam est sanctarum voluptas mentium in conjugio illius Regis, et Reginae civitatis, quod est Christus, et Ecclesia. Sed haec voluptas allegoricis tegminibus involuta est, ut desideretur ardentius, nudeturque jucundius, et appareat Sponsus, cui dicitur in eodem Cantico – Aequitas dilexit te –, et Sponsa quae ibi audit – Charitas in deliciis tuis –. Tacite multa transimus cura hujus operis terminandi ». Jam enim in principio ipse dixerat: quod in tribus illis Libris, « quos Salomonis esse constat, et Judaei canonicos habent, ut ostendatur ad Christum et Ecclesiam pertinere, quod in eis ejusmodi reperitur, operosa disputatio necessaria est; quae nos ultra quam oportet, si nunc adhibeatur, extendit ».

Verum cur ait Hipponensis Doctor; « Haec voluptas allegoricis tegminibus involuta est?.... Ut ostendatur ad Christum, et Ecclesiam *id* pertinere, operosa disputa-

(a) Lib. 17. de Civ. Dei cap. 20. §. 2.

tio necessaria est? » Equidem explico profundissimum Augustinum suis dictis eisdem alio in loco (a), quae confer. Istaque satis sunt pro disputatis.

CAPUT V

Testimonium Ab. Hezrae, et S. Gregorii contra Haereticos profane de Cantico sentientes.

« Absit! vero, absit! ut sit Canticum canticorum de rebus incestis; sed est secundum allegoriae consuetudinem: alioquin nisi magnae esset dignitatis in Sacrorum Librorum corpus haud fuisset relatum ». Haec profitentibus universis Judaeis ex Commentario docti Aben Hezrae (b) ad verbum traduxi. Nec secus S. Gregorius Papa (c) disertissime exclamavit. « Notemus quidem, sic fatus est, quam mirabiliter, quam misericorditer nobiscum operatur Deus, qui ut nos ad amplexus sacri Amoris accendat, usque ad turpis amoris nostri verba se inclinat! Debemus in verbis exterioribus corporeis quidquid interius est quaerere, et loquentes de corpore extra corpus fieri..... littera enim occidit, spiritus vivificat..... humanae conversationis

(a) Partis primae Capp. VI, X, et XII.

(b) Super Cantico.

(c) In prologo Expositionis Cant.

verba audientes, quasi extra humanitatem esse debemus, ne si humaniter quod audivimus capiamus, nihil divinitus de his sentire possimus ».

Quo in loco sciendum est aliquos extitisse, qui solis vocabulis male intellectis inhaerentes, eam hane fuisse arbitrati sunt amatoriam cantionem Salomonis apud mulieres alienigenas ineptientis, cum Dei Spiritum jam perdidisset. Qui certe fuit nonnullorum error Haereticorum, prout id edocemur testantibus Theodoreto, et Philastrio (a), cujus rei argumentum desumi contendebant ex eo, quod nusquam in toto Poëmate Dei nomen exhibeatur. Arbitrio porro aliorum existimabantur ibi Sulamithidis cujusdam, vel Abisag Sunamithae amores cantari; sive etiam aliis libuit accipere Salomoniae Puellae laudes tanquam dictas de Regina Saba, quam narrant Aethiopes filium e Salomone suscepisse.

Scilicet ejusmodi mendacia ex praedictis queunt refelli (b), ubi Salomonem prima investem juventute hunc Librum edidisse evici, seu dum nuberet Pharaonis Filiae: quocum Chronologiae auxilio vaganti mendacium adversariorum licentiae fraena injiciuntur.

(a) De omnibus creaturarum Haeresibus. — Haeresis de Cantici canticorum libro.

(b) Primae Partis Cap. II.

CAPUT VI

Erroris arguuntur asserentes Canticum fuisse dedicatum Abisag, Reginae Sabae, vel anonymae cuidam Sulamithidi.

Sed et altera animadversione Abisag Sunamithidis, vel Sabaeae Reginae hic amores falso comminisci probo. Nam priorem illam, quae ad venerandum senem Davidem spectavit uxor, ob pietatem erga paternam tanti Regis memoriam desponsare sibi nefas fuisset; neque inde id patrare unquam debuisset Salomon, nisi vellet se confiteri turpi invidia motum, quando Sunamitham fratri Adoniae, posthabita etiam suae Matris prece (a), denegavit. Omnem deinceps rei illustrat obscuritatem, et facti traditionem receptissima Hebraeis Doctoribus sententia (b), qua dicitur

אשתו של מלך אינה נבעלת לאחר לעולם

Conjux regis alteri non nubit in aeternum. Tanti enim regia aestimabatur apud Israëlitas dignitas, ut cum defuncto Rege cuncta quae cremari poterant, ac

(a) 3. Regum II, 22.

(b) Vide Maimonidem Halach. Melach. cap. 2. et Gemaram Jerosolymitanam ad tit. Sanhedrin cap. 2. §. 2. col. 1. hal. 3. fol. 20.

praesertim ejus insignia comburerentur; servi autem, ancillaeve Successori tantum haereditate destinarentur; Viduae denique ejus tam Augustae, quam Concubinae duci per conjugium a nemine, neque ab ipso Haerede Solii permitterentur (a). In viduitate igitur manere jubebantur illae: quod incredibile non est cuique Indorum huc usque mores scienti. Quales pariter mores suo inculcasse Korano (b) Mahomedum constat, de quo ut adnotat P. Philippus Guadagnolus (c), uxores « post ejus mortem in viduitate tabescere coactae sunt; fueruntque numero novem ipsi Mahomedo superstites », de undecim, quibuscum quotidie fuerat versatus.

Etiam nihil se indignum Salomonem commisisse cum Nicausi, seu Nicaule Sabaeorum Regina, nobis persuadet Sapientia ipsamet magni Herois; necnon certum est falli Abyssinos, « qui quod Graeci de Thalestre, quae et Minothaea vocata est, Amazonum Regina commenti sunt, ad Alexandrum venisse ex Rege liberos quaesitura; de sua hac Regina utique sentire etiam videntur ». Ita Moncaeus in prima ad Canticum Lucubratione. Et revera discedentis Hospitae verba adeo honorifica sunt, ut Dominatorem Israëlis non tantum intellectus acumine potentissimum, sed quolibet laudabi-

(a) Vide Seldeni Uxor Hebr. lib. 1. cap. 10.

(b) Azoar. 33. in Arabico: de Sectis, seu *Haeresibus*.

(c) In Apol. pro Christ. Relig. tract. 2. cap. 10. sect. 3.

liorum virtutum habitu ornatissimum eo tempore fuisse (a) etiam testentur.

Haud tandem certius quoddam pro asserta Sulamithide eruitur argumentum a dictione שולמית quae in Textu (VI, 12.) reperitur. Vel enim a radice שלם *perfici, pace frui* (b) significationem unice repetens, ea vox explicabitur *Integra*, *Pacifica*, *Perfecta*, a quo themate suum Salomo nomen similiter sortitus fuit, et sic synonyma est voci תמתי supra (V, 2.) adhibitae. Vel potius originem habet ab ipso Sponsi nomine שלמה, ita ut dicatur *Salomonia;* quibus derivatis a marito uxores apud Hebraeos (c), sicut apud plerasque etiam novas, veteresque Gentes, insignitae saepe memorantur. Idque superius a Lapide advertebat, idemque sentit Lowthus (d).

(a) 3. Regum X, Ecclesiastici XLVII a v. 15 ad 20. et 2. Paral. IX ubi v. 6. dicit Vulgatus; *Vicisti famam virtutibus tuis.*

(b) 1. Paralip. XXII, 9.

(c) Isaiae IV, 1.

(d) In Dissert. de sacra Hebraeorum Poësi Praelect. 31.

CAPUT VIII

An omne prorsus Dei *nomen a Cantico absit, respondent Haereticis Hieronymus, a Lapide cum Bellarmino, et Gregorius.*

Verumtamen ex eo quod *Dei* appellatio non occurrat in sacro Cantici libro, minus sancte illum interpretandi nemo hominum jus habet. Neque enim pariter in libro Proverbiorum Divinum nomen conscriptum extat; nec ullibi sicut in canticorum Cantico Sponsam nomine pariter Sororis nuncupatam invenies; ut (v, 2.) *Aperi mihi Soror mea,* ad castissimum amorem omni labe purum significandum. Et haec responsio scripto consignata reperitur in Operibus Doctoris maximi Hieronymi (a). Quod praeterea elevant nonnulli auctoritatem Ecclesiastis, quia in eo non reperitur nomen Tetragrammaton יהוה, hujus vero Libri quod ne alterius quidem ex decem Dei nominibus mentio fiat, id officere non debet; quoniam Poëta ab instituto continuae nempe parabolae suo non discedit. Multo dein magis id de volumine Esterae objectare debuissent,

(a) Libro primo contra Jovinianum. §. 30, et 31. « Ubi *Sororis* nomen est, suspicio omnis foedi amoris excluditur ». Haec Doctor Maximus.

ubi ne hilum quidem, quatenus apud Hebraeos hodie extat, Deus pronuntiatur. Audi nunc Cornelium a Lapide (a) sententiam inclyti referentem Bellarmini. « In aliis libris Veteris Testamenti, inquit, Deus vocatur יהוה אלהים אל אדני caeterisque decem nominibus, quae recenset, et explicat S. Hieronymus (b); quia in his Deus agit cum Synagoga quasi cum ancilla, ideoque se *Deum, Dominum, Gubernatorem, Fortem, Vindicem, Omnipotentem, Terribilem* nominat. In Cantico vero hoc nullum tale Dei nomen est reperire, quod terrorem incutiat; quia in eo agit cum Ecclesia quasi cum Sponsa dilectissima, unde se nonnisi *Sponsum, Fratrem, Amicum, Amantem, et Amatum* sive *Dilectum* nuncupat: quia haec nomina amorem Sponsae excitant, fovent, acuunt, et augent ». Sed hoc responsum probaverat ante Magnus Gregorius (c) his verbis. « Notandum est, ait, quia quando vult timeri *Dominum,* quando vult honorari *Patrem,* quando amari *Sponsum* se nominat Deus ». Nec certe aliud innuitur ab his, quae in Malachiae libro (1, 6.) conscripta inveniuntur verba Dei interrogantis: *Si ergo Pater ego sum, ubi est honor meus? et si Dominus ego sum, ubi est timor meus?*

(a) Canones in Cant. Comm. Bellarminus de Verbo Dei lib. 1. cap. 5.

(b) Epist. 136 ad Marcellam De decem Dei nominibus.

(c) In prologo Expositionis Cant.

CAPUT VIII

Cornelii a Lapide subdistinctio de sensu Cantici adaequato, partiali, atque grammatico: Aben Hezrae admonitio.

Addere tandem placuit Cornelio a Lapide totalem, et adaequatum sensum hujus Eclogae litteralem versari circa connubium Christi, et Ecclesiae in sua sacratissima Humanitate consummatum, quodque jugiter in Divinissimo Eucharistiae Sacramento perseverat. Partialis litterae sensus est in conjunctione Christi cum anima fideli, quae studet sanctitati, ubi principaliter de Christo JESU, deque beatissima Virgine MARIA debet accipi, quae primum est Ecclesiae membrum propter sanctitatem omnigena labe expertem, ob charitatem Angelicis ecstasibus ardentiorem, atque in incommunicabili Matris Dei dignitate. Ipse quoque Auctor supra dixisse (a) legitur. « In Cantico hoc aeque ac in aliis parabolis duplex est sensus litteralis, puta grammaticalis, qui est corticis litterae, et metaphoricus sive parabolicus, qui verus ac genuinus est sensus parabolae significatus, ceu fructus sub cortice. Eum ergo etiam

(a) In Prolegom. ad Cantici Commentarium.

litteralem esse dicendum est, quamvis a nonnullis Allegoricus vocetur ». Revera etiamsi Pharaonitidi suae alluserit Salomon dicens (VII, 2.); *Quam pulchri sunt gressus tui in calceamentis Filia Principis?* constat tamen se Paraclito afflante Spiritu de Regina loqui non potuisse eodem litterae tenore, cum ajentem eam induxerit (V, 7.) : *Invenerunt me custodes... percusserunt me, et vulneraverunt me; tulerunt pallium meum a me.* Quî vero, licet id accidisse fortuito posset, exponere ausus fuisset Propheta Sapientissimus, quod certe in suum, Regiaeque familiae dedecus cedebat? Adde quoque per totum fere Canticum loqui Sponsam, suspirare, agere, impudentius dicam, atque liberius, quam puellam deceat: quae decori negligentia, audaciaque morum puellarium nullatenus *solo* sensu carnali, et grammatico explicari possunt. Praeclare ad rem observat Aben Hezra: « non esse moris, neque decorum in civitate, ut palam vir adolescentulam ita compellet, ut in hoc Libro fit ». Quod si de Ecclesia accipiatur, ea morum a virginibus עלמות servandorum transgressio mirabiliter, ac necessario sibi significandae confert. Illi enim non licuit solum Messiae Sponsi adventum secreto adprecari; constanter immo lachrymis, praedicationibus, caeremoniis, sacramentis, testamento, sacrificiis in conspectu Gentium universarum JESUM ipsa Redemptorem suum invocavit.

Quibus pertractatis illud etiam patet, quod initio

demonstrari pollicitum est, Regium Davidis Natum Cantici sui materiam, et argumentum adaequatum non fuisse; sed suas inter nuptias Aeterno Amore cor movente praestantissimam Prophetiam hoc in Opere consignasse (a).

CAPUT IX

Negantes divinam hujus Libri inspirationem vapulant: hinc nonnihil innuitur de libris non legendis a minorennibus triginta.

Sed postrema urget objectio: renegant enim ullam hic admittere Divini Spiritus inspirationem adversarii; dum hic Liber totus est ad connubiorum delicias, lenesque conjugum sub noctem susurros referendos. Itaque sapienter ajunt fuisse Hebraeis cautum, qui juvenibus ante aetatem Sacerdotalem, id est minoribus triginta annis, prima Geneseos Capita, initium, finemque prophetiarum Ezechielis, Canticumque canticorum simul legere prohibuerunt. Enimvero oppugnatores ejusmodi ad Hebraeos Magistros remittere mallem, exempli gratia ad Chaldaeam Josephi paraphrasim, ad Aben Hezram, Kimchium, Maimonidem, Salomonem Jarchium, Manassem ben-Israël, caeterosque, qui sunt

(a) Part. primae Cap. I.

innumerabiles: adeant iterum libros isti linguae sibi notioris quot ediderunt SS. Patres Basilius, Cyprianus, tres Gregorii, Chrysostomus, Origenes, Eusebius, Cyrilli duo, Ambrosius, Augustinus (a); ubi addiscent discrimen turpe inter, et honestum divinius profecto a Sacris Vatibus, quam a veteratioribus hypocritis observari. Est sane *Lex Domini immaculata; declaratio* quoque omnium Scripturae *sermonum illuminat*, pacemque multam affert diligentibus eam, *et non est illis scandalum* (b). *Quaecunque* enim, inquit Paulus (c), *quaecunque scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt.* Et (d) rursus: *Omnis Scriptura divinitus inspirata utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in justitia.*

Quare de hujus praecise Cantici elocutione modestissima, divinitusque castigata ajebat Jerosolymae Antistes Cyrillus (c). Τοῦ πάθους ἐστὶν τὰ σύμβολα ἐν τοῖς ᾄσμασιν ἀποκείμενα τοῖς νυμφικοῖς, καὶ νηφαλίοις, καὶ σωφρονικοῖς. Μὴ γὰρ πρὸς τὴν τῶν πολλῶν ὑπόληψιν ἐκλαβὼν τὰ ῥήματα, καὶ ἀτενίσας μηδὲν, ἐρωτικὰ νομίσῃς εἶναι,

(a) Haec passim ubique; sed ut unum saltem certo innuam, vide D. Aug. Enarrat. in Ps. CXVIII. serm. 31. §. 5. et in Ps. XLVIII serm. 1. §. 1. etc.

(b) Psalm. CXVIII, 165.

(c) Ad Rom. XV, 4.

(d) 2. ad Timoth. III, 16.

(e) S. Cyrill. Jerosol. Homil. in Paralyticum. §. 10.

καὶ ἐμπαθῆ τὰ ᾄσματα· ἀλλὰ νυμφικὰ τὰ ῥήματα, σαφροσυνής πεπληρωμένα.

Refer perinde animum, sis ad veritatem, et considera Hebraicam linguam indoli nationis, solo, educationi antiquae consentientem, non ipsa re, neque in Textibus primitivis justo liberiorem, minusve pudicam apparere; sed in Versionibus, et secundum circumstantias quibus hodie viginti, et octo saeculis nos seriores educati sumus (a). Atque id sanctitati minime officiebat veteris Synagogae Legem habentis minus perfectam Evangelio. Sane illa natio Christum Hemmanuelem de sua naturali sobole nasciturum sperare jussa, filios filiasque ad matrimonium, quod sancta res est, debito ineundum tempore, et sancte tractandum educabat. Apostolica vero Ecclesia nostra, cui universa quotquot a Patre suo acceperat, revelavit Christus, virginitatem priscis posthabitam maritali castitate pretiosiorem commendat. Quare Propheta renovatae per Christum Ecclesiae miraculis motus (b) clamabat כי מה טובו ומה יפיו דגן בחורים ותירש ינובב בתלות

(a) Vix quatuor supputantur saecula, et in *Divina Comoedia* maximi vatis nostri D. Aligherii quaedam occurrunt rarissima, quae ab honesto hodie sermone prohibentur. Ne recenseam quae similiter in Libris Francorum, Hispanorum, Anglorum, etc. obvia inveniuntur.

Quid ergo? Permitti istos tenuissimos in Scripturis Sanctis naevulos non decebat! Decuit utique... Saltem ut ipso facto ostenderentur illae remotissima jam ab antiquitate fuisse conscriptae.

(b) Zacharias IX, 17.

Sed quid ultra? Si ratione puerilis innocentiae praeservandae moti fuissent Hebraei Doctores, plura alia adolescentiae legenda vetassent, vaticinia exempli causa ejusdem Filii Buzi Capitibus XVI, et XXIII exarata. Diversa igitur causa adducti illi sunt, quae Cantico canticorum, et Genesi, et Ezechieli communis esse debet; obscuritatem nempe sapienter formidaverunt, symbola, et finem incomprehensibilium Mysteriorum, rerumque (a) narratarum!

CAPUT X

Ad illud Cantici (IV, 1. et 3. ac VI, 6.) absque eo quod intrinsecus latet... absque occultis tuis, *interpretationes collatis Isaiae dictis.*

Huic interim disputationi finem impositurus novissimam difficultatem, quae ex ambiguitate una et altera Vulgatae versionis oriri potest, resolvere aggredior. Legitur enim bis in Capite Cantici quarto (vv. 1, et 3.); *Oculi tui columbarum absque eo, quod intrinsecus latet:* Deinceps; *Sicut fragmen mali punici ita genae tuae absque eo, quod intrinsecus latet.* Quod repetitum est (VI, 6.) infra; *Sicut cortex mali pu-*

(a) Salmeron. Tom. 1. Proleg. 9. Quinquagena 1. Canone 8.

nici, sic genae tuae absque occultis tuis: pro quibus ultimis vocibus semper in Hebraico repetuntur vocabula מבעד לצמתך Tota igitur quaestio in vi dictionis צמתך enucleanda versatur, a qua sepositis praefixa praepositione ל, et pronomine affixo ך foeminini generis, habetur nomen substantivum צמת Sed sciendum est in quatuor opiniones scindi hac in re Interpretes sive antiquos, sive recentiores.

Prima interpretatio veteris Editionis habens *ἀπὸ πλήθους τοῦ κάλλους σου*, nullam significationem offert determinatam; quo defectu magis quoque laborant Theodotion, qui ponit *σαμθὲκ*; necnon Aquilas, qui *σεμμαθὲκ*; isti enim vocem originalem retinuerunt nescientes forte quid significaret.

Secunda occurrit translatio LXX Virorum exponens *ἐκτὸς τῆς σιωπήσεώς σου*, siquidem videntur isti deduxisse ab Arabica radicis صمم , et صمت significatione, quae explicatur *obduxit;* item *obmutuit;* vel denique *se surdum similavit.* Quare metaphoram duo indicantem includi ejusmodi vocabulis necesse est: vel nempe interna animi pulchritudo significatur, quod est consonum dicto veteris Editionis supra allato: vel accipitur (a) cum Hieronymo de eo, « quod taceri debeat prae verecundia ». Doctor enim hic in Isaiae Ca-

(a) Symmachus ad Isaiae XLVII, 2. posuit τὸ σιωπήλον σοῦ. Consulantur Ludov. Cappelli Commentarii, et Notae Criticae in V. Testam. et Jacobi Cappelli Observationes.

pite septimo et quadragesimo (a) eamdem vocem צמתך explicans ait. « Quod quidem et in Cantico canticorum legimus ubi Sponsae pulchritudo describitur–absque taciturnitate tua –, nolentibus qui interpretati sunt (Septuaginta nempe Senes) transferre nomen, quod in Sancta Scriptura sonaret turpitudinem..... Recteque contra Babylonem inverecundis utitur nominibus (Isaias), licet nulla sit turpitudo, humani corporis membrum vocare nomine suo; cui praecipitur ut nudet pectora, et crura, ac femina aperiat, et vadat in captivitatem, videaturque ignominia ejus, et opprobrio pateat sempiterno..... Ergo צמתך (σεμμαθὲκ), quod Aquila posuit, ut diximus, verenda mulieris appellantur, cujus etymologia apud eos (Hebraeos) sonat *sitiens tuus*, ut inexpletam Babylonis indicet voluptatem ».

Tertio loco opinio venit recentium plurimorum, quos inter doctissimos nomino Kimchium, Aben Hezram, Sanctem Pagninum, Mercerum, Buxtorfium, Cappellos duos Jacobum, atque Ludovicum. Jacobus Cappellus in hocce Cantici loco adnotat: « Omnino magnum illum virum (S. Hieronymum) decepit Judaeus, quo tum utebatur. Refellit Hieronymum tota natio Judaeorum, refellit etiam Isaias (XLVII, 2.) – Cape molas, et mole farinam, retege caesariem tuam, denuda vestigium, retege crus, transi flumina –. Praedicit enim Isa-

(a) Libro 13. Commentarior. in Isaiae locum citatum.

ias, quid passurae sint mulieres Babyloniae, ac praecipue inter alia passis capillis, nudoque capite in pistrino molituras, quod certe durum est matronis, quae delicate vixerunt. At quis hostis insuper exigat, ut inter molendum pudenda retegant, quod sibi persuadit Hieronymus? Errorem ejus solide refellit Aloysius Doctor Salmaticensis, et tamen argute tuetur Vulgatam versionem ». Ludovicus Cappellus porro מבעד לצמתך explicat « – e medio capillorum tuorum ante faciem, atque oculos tuos passorum –; uti fit cum caput ornant, et capillos pectunt virgines. Ex Isaia satis liquet צמה significare *caesariem, comam:* unde צמים *latro, praedo,* quasi dicat *crinitum;* quia homines illi, ut magis horridi viderentur, comam impexam alebant ». Praeterea in vaticiniis (a) Filii Amosi modo collaudati, ubi solummodo de toto Textu vox eadem usurpata reperitur, versiculus totus sic extat: קחי רחים וטחני קמח גלי צמתך חשפי שבל גלי שוק עברי נהרות ibique conferatur Syriaca interpretatio, et Arabica ab ista non absimilis, خذي للرحا واطحني دقيقا انفي نقابك واكشفي شعرك واخلعي خفافك جوزي انهارا quod proprie explicatur: *Accipe molam, et mole farinam, depone ve-*

(a) Isaiae XLVII, 2.

lum tuum, et detege crines tuos, necnon exue ocreas tuas, transi flumina.

Quapropter scite adjicit Cappellus. « Sic describitur servitus Babyloniorum : hic nempe erat habitus, et conditio mancipiorum, ut damnati ad molas passis essent crinibus, nudato capite, et tam brevibus uterentur vestibus, ut vix ad genua usque descenderent: quod probrosum, et ignominiosum erat; sed vel maxime foeminis, quales hic describuntur Babyloniae... A Lxx Viris redditur σιώπησις, unde quis suspicari posset non esse τῶν Lxx illius Libri (Cantici) versionem, sed potius Symmachi, quandoquidem Hieronymus hoc loco monet Symmachum sic reddidisse hanc vocem... Porro circumstantiae locorum illorum (Cantici, et Isaiae) quadrat significatio *cincinnorum*, uti Kimchi exponit vocem illam, capillos nempe in genas dependentes quomodo solent foeminae ornatus gratia facere. Hoc loco Isaiae Lxx Interpretes vocem צמה reddiderunt κάλυμμα teste Hieronymo: per κάλυμμα autem non quodlibet integumentum hic intelligunt, sed velum illud, seu *mitram*, qua mulieres caput ornabant, et crines tegebant suos ».

Eruditis igitur his vox צמה significat eos crines, quos mulieres dependere sinunt super frontem, vel *cincinni* sint, vel *caesaries*, quae eleganter est intexta, et tamen foras per frontem non multum procurrit; nam castae, et pudicae a fluxis crinibus illo aevo abhorrebant.

CAPUT XI

Interpretatio probatior evolvitur conciliatis Cantici, et Isaiae verbis.

Ultimam tandem afferunt sententiam multi maximae notae viri, quorum numero nobiliores enumerantur Avenarius, Reuclinus, Forsterus, Forerius, Clericus, Rabbi Jonas, et Rabbi Salomon, qui duas in principio allatas dictiones interpretantur; *extra tuam vittam, taeniam, velamen, lemniscum, mitram,* vel *reticulum crinale;* quibus etiam accedit interpretatio Septuaginta-viralis in locum Isaiae, secundum illud, quod mox adnotabatur a Ludovico Cappello. Sic etiam explicat Symmachus hunc Cantici locum; αἱ παρειαί σου σκεπόμεναι καλύμματι. Et revera Chaldaeis usitata est radix צמם vel צמצם *constringere, operire, velare.* Qua de causa audire non pigeat ipsum magistrum Salomonem Jarchium (a). « Hebraicum מבעד sonat *intrinsecus;* magna enim ex parte בעד quod occurrit in Scriptura, dicitur de re quae obumbrat, et obtegit aliam.... Sed מבעד praeposita מ de re dicitur, quae *intra* illam, est, quia ponebamus בעד *super;* unde et illa voce

(a) In Comment. Cantici.

usus hic est Salomon. צמה porro id significat, quod crines ne foras promineant involvit, estque veluti *reticulum*, et *vitta* ». Johannes Clericus, quamquam nil ad spiritum referre, sed partes assequi carnalis Grotii conjuraverit, id pariter confitetur. Hieronymus enim, et Lxx Viri, « verterunt, inquit Clericus (a), e significatione Arabica radicis, quae tamen huic loco non convenit, ubi Sponsae vultus describitur, non pars cujus nomen tacendum est: quidpiam itaque significatur, quod ad vultum pertinet.

« In loco Isaiae... non innuuntur ergo voce צמתך pudenda, quae retegi non poterant, quin simul crura aperirentur; sed aliquid potius quo amoto pedes, et crura oculis patent: quibus verbis Babyloniarum servilis conditio describitur. Alii retinuerunt vocem Hebraicam, cujus significationem ignorabant: at Hieronymus vult Interpretes noluisse transferre nomen quod in S. Scriptura sonaret turpitudinem, etc... Verum hic apud Salomonem turpe esset ipsum induci nomine proprio *pudendum* vocantem... Hieronymus ait etymologiam vocis צמתך sonare apud Hebraeos *sitiens tuus* ut inexpletam Babylonis indicet voluptatem, quasi nempe esset a צמא *sitiit.* Sed nihil opus est ejusmodi interpretatione; צמה enim potest optime *velum* verti, et deduci a Chaldaica potestate vocis צמם qua *tegere*

(a) In Comment. Cantici.

significat. Vide Johannem Buxtorfium in Lexico Chaldaeo-Thalmudico. Ea autem vocis potestas utrique loco convenit. Apud Salomonem dicuntur oculi Sponsae pulchri esse extra *velum ejus;* quia mulieres iis temporibus, et locis ferebant cum in publicum procedebant velum, quo tota facies erat tecta praeter oculos; quod videre est etiamnum apud Arabes. Eadem veli significatio optime etiam in locum Isaiae quadrat ubi גלי צמתך est – revolve velum tuum – quod certe attolli debebat, ut pedibus rivi transirentur, ne madefieret ».

Omnium nunc expositis sententiis patet ratione Grammatica, et Logica postremam explicationem esse accuratiorem, qua accipiuntur voces מבעד לצמתך *infra,* aut *citra vittam tuam.* Namque ratione radicis צמם quae Grammaticis significat *velare, peplo obducere, operire;* derivata dictio צמה tute explicatur κάλυμμα, κατακάλυμμα, id est *vitta, linteolus, lemniscus.* Idipsum item evincit Logica loci hujus ratio; etenim primo per totum versum de capitis, genarumque ornatu loquens Salomo, vocabulo צמתך aliquid faciei idoneum exponere maluit; nam aliter deordinatam confarcinasset descriptionem a naso ad nates praeceps ruens; quod in optimo vate, ne dicam scriptore divinitus edocto, supponi nunquam potest. Et secundo; nam quas tandem apud gentes inter nubentium Virguncularum elogia in honesta solemnitate, in Regio conjugio

foeditatem tantam (a) quis obtigisse suspicaretur? Atqui Flaccus ille Venusinus, qui Epicuri fuerat alumnus, inter licentiae Romanae festa, et joca dissoluta jubebat « pueros, puellasque

Jam virum expertas male ominatis
Parcere verbis! »

Et existent porro homines qui Sapientissimum Prophetam, magnumque Principem piissimo genitum Davide turpius aliquid cantitasse mentientur? Adeoque concludit praedictus Clericus; ejusmodi turpitudinem « nefas est dubitare an Scriptores Sacri, quibus nihil est verecundius, diligenter vitaverint ».

CAPUT XIII

Agitur de vi hebraicae dictionis מעי venter meus, *quae in Cantico (v, 4.) occurrit: et de januarum apud veteres clausura.*

Oriri praeterea si posset haesitatio in translatione illius versiculi (v, 4.) *Dilectus meus misit manum suam per foramen, et venter meus intremuit ad tactum ejus;* id omne facillime, ac pudentissime de-

(a) Vide Houbigant Biblia Hebr. ad Cantici locum citatum.

claratur sive quis insistat Versioni τῶν Lxx, quae habet, Ἀδελφιδός μου ἀπέστειλεν χεῖρα αὐτοῦ διὰ τῆς ὀπῆς, καὶ ἡ κοιλία μου ἐθροήθη ἐπ' αὐτόν: sive magis consulantur verba Hebraica, et contextus, quem pudicissima Sponsa exhibet, narrationis. Revera ומעי המו עליו - et praecordia mea sonuerunt, vel obmurmuraverunt super illo -, phrasis est usitatissima Orientalibus: itaque ajebat Filius Amosi (a); *Super hoc venter meus ad Moab, quasi cithara sonabit, et viscera mea ad murum cocti lateris.* Et alius Propheta (b): *Ventrem meum, ventrem meum doleo; sensus cordis mei turbati sunt in me: non tacebo, quoniam vocem buccinae audivit anima mea, clamorem proelii.*

In qua phrasi vertenda nulla adfuit causa quare Vulgatus super addiderit *ad tactum ejus*, quod in Textu non est, neque adesse unquam potuit, ut unanimiter admonent universi Eruditi (c). Jeremias Deum loquentem (xxxi, 33.) inducebat: *Dabo legem meam in visceribus eorum, et in corde eorum scribam eam;* et superius (vers. 20.) eamdem Cantici phrasim de Deo adbibuit, על כן המו מעי לו רחם ארחמנו quae verba traducuntur a Vulgata, *Idcirco conturbata sunt viscera mea super eum; miserans miserebor ejus.*

(a) Isai. XVI, 11.

(b) Jeremias IV, 19.

(c) Houbigant Bibl. Hebr. ad Cantici V, 4.

Ex qua collatione explicationis traditae superius veritas luculentissime confirmatur. Et revera ait Del Rio (a); « מעה significat quidquid corporis a collo ad pubem usque exterius, interiusque continetur, ipsa scilicet *viscera:* hinc in Sacris Litteris *venter* pro corde solet usurpari, (ut bene Cassiodorus, et Willeramus hoc loco): non ut viscus quoddam est; sed ut est receptaculum, et sedes affectuum irae, timoris, amoris, tristitiae, misericordiae. Quod ut clarius explicaret Symmachus, vertit; τὰ ἔντερά μου ἐταράχθη. Sic sumpsit Iobi amicus (b), *venter meus quasi mustum absque spiraculo:* sic Psalmi (c); et Habacuc (d); et Salomon (e), *Investigat omnia secreta ventris.* Apud Habacuc plerique vertere καρδία μοῦ: Noster etiam infra (versu 14); *Venter ejus eburneus.* Hoc ergo loco profitetur *cor suum* aestuasse, *palpitasse*, et quasi fremere, et tumultuari coepisse.... Hebraeum המה significat *instar maris* concitati *fremere*, et tumultuari ». Ex quo item deducitur quod מעים *viscera*, et בטן *venter* sunt pene synonyma.

(a) Cap. 5. sect. 3. Comment. in Cant.

(b) Iob. XXXII, 19.

(c) XXX, 9. *Miserere mei Domine, quoniam tribulor; conturbatus est in ira oculus meus, anima mea, et venter meus.* Et XLIII, 24. *Quoniam humiliata est in pulvere anima nostra, conglutinatus est in terra venter noster.*

(d) III, 16. *Audivi, et conturbatus est venter meus.*

(e) Prov. XX, 27.

Sed o narratiunculam exquisite elaboratam! Dilectus noctu fores domus obseratas inveniens, Sponsam e via advocat; at dormientem turbare dubitat; manu ostium pellit; portam ipsam tacitus quatit; per foramen januae seras tentare gestit, an sua industria laxari queant: quae historia graphice admodum descripta sua simplicitate animos rapit.

Antiquitus deinde mos obserandi fores alius a nostro erat; valvaeque semper intrinsecus ab aliquo claudebantur, qui domi commorabatur. Quod si inde exire omnes suprema juberet necessitas, foribus claudendis opponebatur transversarius vectis, qui ex una parte immotus erat, aliaque parte cum clavo ferreo ut plurimum muniebatur; idque fiebat ope corrigiae, et alterius clavi lignei, vel ferrei recurvi, qui proinde a discedentibus servabatur. Foramine ergo terebratae erant valvae, quo manus, sive potius clavus iste posset immitti; quando januas ab iis, qui extrinsecus redibant, reserari oportebat. Quae omnia cum perfecte nondum explorata sint, adhuc Archaeologorum exercent mentes: vide si interest, Salmasium apud Solinum, et Casaubonum (a), et Apulejum (b).

(a) Notae ad Aeneae Commentarium Tacticum, et Poliorceticum cap. 18.

(b) Metamorphosis, seu Lusus Asini Lib. 4.

CAPUT XIIII

Cantici tractatio animos dedecet levicula scientia imbutos, vel pietatis immemores.

Quid interea de eo malo eloquar, quod non raro contingit, aggredientibus nonnullis Sacros, difficilioresque Libros Prophetarum explicare, cum isti quamcunque addiscendi Litteras divinas methodum ignorent? Qui sane prima Hebraeorum γράμματα vix summo ore balbutire noverunt; quemadmodum parvi illi pueruli, qui adhuc fando impotentes, solo cognoscere Matrem risu incipiunt. Innumerae his obstant quippe morae, praevalidae oriuntur haesitationes dubiorum, atque ambiguitates philologicae opponuntur, et theologicae, quibus interdum animos despondeant suos oportet. Utinam porro ne ob praesumptionem ipsorum opinantium *sese esse sapientes*, sua Fides vacillet!

Obiter item admonere jure videor unumquemque, qui Patrum sese studio addixerit; nullatenus ab eorum lectione separandam esse doctrinam temporum: neque ignorari circumstantias Regnorum, et Ecclesiae historiam posse tuto ab illis, qui Sanctorum Doctorum sententias intelligere, vel testimonia proferre cupiant.

Tandem hac una mihi vice liceat Christiani hominis,

si quis extiterit pietatem omnem oblitus, profligatum cor increpare: Anacreon pietate victus, sicuti Graecae retulere fabulationes, illico fores aperuit imbre madefacto Cupidini (a), vix dum iste

Θυρέων ἔκοπτ᾽ ὀχῆας.

Filio autem Hominis, dum non haberet quo caput reclinaret suum, languores, doloresque nostros portanti aperire cunctabatur Sponsa; liberique Abrahami Eum, cui non erat a planta pedis usque ad verticem sanitas, paternae hospitalitatis immemores non receperunt!

Proh immisericordia! proh ante ipsam collati beneficii acceptionem ingratitudo!

Ejusdem denique Cantici canticorum haec ratio est, haec vis, docente Magno Gregorio, ut loquentes de corpore extra corpus fiant, humanique amoris sermonibus discant, qua alacritate in Divinitatis amore ferveant. Non ergo praetermittenda humani amoris imago: sed danda opera, ut ad divinum velox sit transmigratio; ne machina, quae ponitur ut levet, ipsa magis opprimat, et aggravet. Te ergo allegoriam hanc pulcherrimam, historico penitus nitentem facto ediscere, et investigare decet; sed quisquis ea legis, *μὴ χαμαὶ πέσῃς*, cum Cyrillo (b) hortabor, *μηδὲ ἐμπαθῶς ἄκουε ταῦτα·* *ἐκ τῶν ἀπαθῶν τὰ πάθη μεταγύμναζε.*

(a) Εἰς Ἔρωτα — ᾠδὴ γ᾽.

(b) D. Cyrill. Jerosol. Homilia in Paralyticum. Vide dicta Part. I cap. XIV.

CAPUT XIV

Recensentur accuratiores Interpretes Cantici: et quorumdam impiorum Opuscula cavenda.

Ex Hebracis praecipue, quamplurimos praeter auctores, Aben Hezra, Salomon Jarchi, Kimchi, et alius Rabbi Anonymus totum hunc sedulo Librum exponunt. Studiosis vero uberrimas variorum sensuum praeparavere interpretationes D. Hieronymus, Origenesque prae reliquis, Philo Carpathius Episcopus, Theodoretus, Gregorius Magnus, et Basilii frater Nyssenus, Psellus, Polychronius, Eusebius, Aponius, Cassiodorus, Ambrosius, Bernardus, atque Angelicus Doctor Thomas. Ex recentioribus extitere inter Heterodoxos praesertim Durhamus, Calovius, Coccejus, Michaëlis, R. Lowthus, Clericus, Piscator, Mercerus, Johannes Diodati (a), Rosenmüllerus, etc.

Sed ante alios legendi sunt Catholici Interpretes, inter quos supereminent illustres Estius, Tirinus, Mal-

(a) « La Sacra Bibbia tradotta, e commentata, con l' aggiunta de' S. Salmi messi in rima ». Haec Versio excellet ob Italicae linguae puritatem, elegantiam, et concisionem respondentes ut plurimum Litterae Hebraicae, nec aspernandas quandoque habet Notas: utinam vero Auctorem sortita fuisset minus malevolum, et suspectum!

venda, Riccardus, qui Regis Matthaei Cantacuzeni interpretationem adnotavit, Mariana, Cornelius a-Lapide, Genebrardus, Sanchius, Aloysius Legionensis, Ghislerus, Del-Rio, Nannius, Moncaeus, et in primis Jacobus Ben. Bossuet Meldensis Antistes. Collaudanda quoque mihi sunt Biblia Hispanice versa (a), ex quibus illa commemoro etiam Auctore P. Philippo de Scio edita, ubi notae inveniuntur insignes Hebraica eruditione, sed magis explicatione Patrum in compendium concinnata.

Suprema muneris mei pars in eo versatur, ut eos indicem, qui Sanctum istud Vaticinium calumniati sunt; objectiones enim horumce לצים supra (b) excussae, ac propulsatae pro virili fuisse mihi videntur. Cavendum interea ab Hugone Grotio in Commentario Cantici hujus canticorum coecutiente; cavendum a Sebastiani Castalionis, Theodori Bezae, et Johannis Clerici opellis, in quibus Socini recentes, Atheorum, et Materialistarum haereses, cum veneno a Theodoro Mopsuestensi, et

(a) Celebrior illa translatio ab Hebraeis procurata hanc habet epigraphem: « Biblia Española traducida palabra, por palabra... por muy excelentes Letrados. En Amsterdam — 5606 »; quod est juxta supputationem Judaeorum, respondetque anno Christi 1646.

(b) Objectionem, quae opponitur computatis annis Salomonis, annoque nativitatis Rohboham ex matre Nahama secunda illius Uxore, refellere omitto; quia solvi potest ex praedictis (Part. I capp. II, V, XIV, atque Part. II cap. VI.); et fusius quoque resolvetur in Chronologia Regum Hebraeorum, quae Deo volente, forte prodibit in lucem.

Anabaptistis olim propinato commiscentur. Nisus vero impotentes totius ejusmodi pecudis jam a Quinta Synodo Oecumenica, et Constantinopolitana II. damnatos, Heterodoxi pariter detestati sunt, et refellerunt.

Procul itaque a sanctissimo Cantici canticorum Libro, libro scripto intus et foris, signato tamen septem sigillis, illi qui terrena sapiunt animales *spiritum* non habentes: tantum enim canere Epithalamium nefas est, nisi virginibus choris, qui sequuntur Agnum quocunque iverit. Quemadmodum enim Ipse fatus est (a); *cognoscunt me* oves *meae:* sic Jesum Christum boni Fideles inter umbras, figurasque Veteris Testamenti certo indubie signo agnoscunt, et iidem coelestium delicias amorum capere valent, atque Deo, qui est Charitas adhaerere. Is autem, cui data est clavis domus David super humero suo, qui aperit, et nemo claudit, verae intelligentiae fores nobis recludat, ut nuptiale de Verbi Dei, Ecclesiaeque sacramento Carmen edoceamur, accensisque lampadibus nos Sponsae liberi, faustisque adprecationibus Sponsum prosecuti, sicut novellae olivarum in circuitu mensae suae perpetuo inter Coelestes sodales discumbamus. Fiat! Fiat!

ΘΕΩ

ΔΟΞΑ ΚΑΙ ΤΗ ΘΕΟΤΟΚΩ

(a) Johannis X, 14.

CANTICI CANTICORUM

TRANSLATIO

de Hebraica littera in Latinam

NOTATIS UBIQUE

INTERLOCUTORIBUS

TENTAMEN SIMUL EXHIBETUR

DE DRAMATICA PER ACTUS, ET SCENAS

EJUS PARTITIONE

Animadvertat Lector Vulgatae versionis Capitulis suprascribi periochas, exacta nempe eorum quae infra continentur compendia: quod sciat quisquis oportet, ne Textum Authenticum cum appositis argumenti illustrationibus confundat.

ואהיה אצלו אמון ואהיה שעשועים יום יום
משחקת לפניו בכל עת
משחקת בתבל ארצו ושעשעי את בני אדם

PROVERB. VIII.

דברי חכמים כדרבנות
וכמשמרות נטועים בעלי אספות
נתנו מרעה אחד

ECCLES. XII.

CANTICUM CANTICORUM

QUOD *EST* SALOMONIS

Interlocutores

SPONSUS ADOLESCENS PASTOR OVIUM: sub ejusmodi vero persona Davidis filius Salomon Rex Israël primam in juventute sua uxorem ducens occultatur.

SPONSA VILLICA VIRGO VINEAE CULTRIX, sub qua Memphitica latet Puella Pharaonis Aegypti Regis filia Salomoni desponsata.

CHORUS PUERORUM AGRESTIUM SPONSI COMITUM: hos tamen ex praedisputatis fuisse concluditur magnates Hebraeos, solio, domuique Regis assistentes.

CHORUS VIRGINUM SPONSAE PEDISSEQUARUM, QUOCUM PARANYMPHI: quibus personis latent caetus mulierum Aegyptiarum, Nutricis, et forte Matris Sponsae comitum, atque Cubicularii Salomonis illam custodientium.

Intersunt etiam, sed singillatim nullibi loquuntur

MATER Sponsi, nempe BAT-SCÉBAH,

FRATERCULUS quidam,

SORORCULA Sponsae,

COGNATI, et AFFINES.

ACTIO incipit a primo vespere nuptialis pompae usque ad vesperas diei sequentis: illius itaque duratio uno die comprehenditur.

ACTUS I. Hora vespertina Juvenis, et Puellae occursus.

ACTUS II. Nocte surgente; Amantium officia exaudita.

ACTUS III. Priore diluculo; salutatio, oblatioque coronarum.

ACTUS IV. Mane; mutuae charitatis productio.

ACTUS V. Ad vesperas; Sponsae deductio, et revelatio.

SCENAE LOCUS unus est et immobilis, non versatilis, neque ductilis; sed topiarii operis speciem praefert in suburbano apud Jerosolymam, quod in ipso Textu (a) vocatur BAHAL-HAMÓN.

Repraesentatur agreste forum, tribus ibi confluentibus viis, quarum altera ad urbem ducit. Sponsi domus prae caeteris nobilis est, locumque prospectat, ubi agunt personae: hinc paulo remotior est aedes Sponsae, quam *paternam* vocari licebit, unde nempe Illa deduci fingitur.

(a) בעל המון Cantici Capite VIII, 11.

ACTUS PRIMUS

Hora vespertina : Juvenis , et Puellae occursus.

SCENA PRIMA

Juxta receptum Asiae ritum ad Sponsi portam sistit Dilecta se comitantibus Virginibus, ac Paranymphis praemissis ad Puellae paternas aedes, ut haec pro uxore postularetur.

SPONSA , CHORUS VIRGINUM

SPONSA. Me osculetur aliquo osculorum oris sui.

CHORUS VIRGINUM. Siquidem gratiores *forent* amores tui prae vino.

Cum odore unguentorum tuorum suavium unguen effundetur nominis tui.

Quapropter Virgines te amaverunt!

CANTICUM CANTICORUM SALOMONIS

EX VERSIONE VULGATA LATINA

CAP. I. *Sponsa osculum exoptat Sponsi, qui amore dignissimus memoratur. Concedit se esse fuscam Puella; neque id Virginem dedecet villicam Pastori nupturam. Is dono exhibito dulci Amicam excipit sermone.*

1. Osculetur me osculo oris sui. Quia meliora sunt ubera tua vino.

2. Fragrantia unguentis optimis oleum effusum nomen tuum: ideo Adolescentulae dilexerunt te.

SPONSA. Trahe me.
CHORUS VIRGINUM. Post te curremus.
SPONSA. Ducat me Rex in conclavia sua.
CH. VIRGINUM. Exsultabimus, laetabimurque de te.
Memorabimus amores tuos, quam vinum.
Legitime adamaverunt te!

Praedictae nuper acclamationes pro cujusque Personae arbitrio, sine ordine huc usque miscentur.

SPONSA. Fusca *sum* ego, sed venusta Natae Jerusalem, sicuti tentoria Kedár*is*, instar cortinarum Salomonis.
Ne me despexeritis, quod nigella sim, quia rimatus me fuit Sol: liberi Matris meae irati mihi *cum* essent, constituerunt me custodientem vineta; vineam meam, meam *inquam*, ne custodirem.

3. Trahe me. Post te curremus in odorem unguentorum tuorum. Introduxit me Rex in cellaria sua. Exsultabimus, et laetabimur in te, memores uberum tuorum super vinum. Recti diligunt te.

4. Nigra sum sed formosa, Filiae Jerusalem, sicut tabernacula Kedar, sicut pelles Salomonis.

5. Nolite me considerare quod fusca sim, quia decoloravit me Sol: filii Matris meae pugnaverunt contra me, posuerunt me custodem in vineis; vineam meam non custodivi.

SCENA SECUNDA

Prodeuntem foras Amicum alloquitur Puella: ambo autem prima nunc se vice coram tuentur.

SPONSUS, SPONSA, CHORUS VIRGINUM

SPONSA. Indica mihi o quem anima mea cupit, ubi pasces, ubi stabulabis in meridie: cur enim ero veluti vaga penes greges Sociorum tuorum?

SPONSUS. Nisi tu noveris, o pulcherrima mulierum, ipsa egreditor post vestigia pecudis, pascitoque hoedos tuos apud mapalia pastorum.

Equitio curruum Pharaonis assimilavi te, Sodalis mea.

6. Indica mihi, quem diligit anima mea, ubi pascas, ubi cubes in meridie; ne vagari incipiam post greges Sodalium tuorum.

7. Si ignoras te, o pulcherrima inter mulieres, egredere, et abi post vestigia gregum, et pasce hoedos tuos juxta tabernacula pastorum.

8. Equitatui meo in curribus Pharaonis assimilavi te, Amica mea.

SCENA TERTIA

Exeunt Pueri, a quibus aureae catellae, ac torques dono Sponsae afferuntur.

SPONSUS, SPONSA, CHORI DUO

SPONSUS. Decentes sunt maxillae tuae ob catenulas, collum tuum propter monilia.

CHORUS PUERORUM. Catellas auri faciemus tibi cum punctis argenti.

SPONSA, **gratias suo more agens.** Donec Rex in triclinio suo, nardus mea emittet suum odorem.

Fasciculus myrrhae Amicus meus mihi *erit,* inter ubera mea pernoctabit.

Amicus meus *videbitur* mihi racemus ligustri, de vineis Hen-ghedí.

9. Pulchrae sunt genae tuae sicut turturis, collum tuum sicut monilia.

10. Muraenulas aureas faciemus tibi, vermiculatas argento.

11. Dum esset Rex in accubito suo, nardus mea dedit odorem suum.

12. Fasciculus myrrhae Dilectus meus mihi; inter ubera mea commorabitur.

13. Botrus cypri Dilectus meus mihi in vineis Hengaddi.

14. Ecce tu pulchra es Amica mea, ecce tu pulchra es: oculi tui columbarum.

Sponsus. En tu pulchra Sodalis mea, en tu pulchra! oculi tui *sunt* columbae.

Sponsa. Ecce te pulchrum Amicum meum, atque suavem!

Sponsus. Etiam torus noster virens.

Sponsa, et Sponsus. Trabes domorum nostrarum cedri, nostra lacunaria *sunt* cypressi.

Sponsa. Ego rosa Scaron*is*, lilium vallium.

Sponsus. Ceu lilium inter spinas, talis mea Sodalis inter puellas.

Hoc dicto Juvenis, Puerique sui rite regrediuntur.

Sponsa. Qualis *est* malus inter arbores silvae, ita Amicus meus inter natos.

In umbra ejus concupivi, consedique: illius itaque fructus dulcis *esto* palato meo.

15. Ecce tu pulcher es Dilecte mi, et decorus. Lectulus noster floridus.

16. Tigna domorum nostrarum cedrina, laquearia nostra cypressina.

CAP. II. *Gestit Puella intromitti in Viri familiam, et in symposii nuptialis aulam: amore colliquescit. Obsecrat Dilectus Virgines Solymaeas, ne dormientem turbent; sed Amica voce audita, canit Pastorem suum, qui se ubique sequitur, et desiderat: Eum tandem ab sese Illa dimittit.*

1. Ego flos campi, et lilium convallium.

2. Sicut lilium inter spinas, sic Amica mea inter filias.

3. Sicut malus inter ligna silvarum, sic Dilectus meus inter filios. Sub umbra illius, quem desideraveram, sedi; et fructus ejus dulcis gutturi meo.

Compellantur inde Virgines, quae Dilectum revocent modo abscedentem.

SPONSA. Introducat me in aulam convivii, suumque vexillum super me *explicetur* Charitas.

Fulcite me viridiis, sustentate me pomis: nam aegra amore sum.

Novam Nuptam graviter Amici desiderio dolentem circumstant suae Comites, ulnisque sustinent.

SPONSA. Illius *utinam* sinistra sub capite meo, ejusque dextera me amplexaretur!

SCENA QUARTA

Vir ab uno Paranympho evocatus redit Dilectam consolaturus.

SPONSUS, SPONSA, CHORUS VIRGINUM.

SPONSUS. Obtestor vos, Puellae Jerusalem, per capreas,

4. Introduxit me in cellam vinariam, ordinavit in me charitatem.
5. Fulcite me floribus, stipate me malis; quia amore langueo.
6. Laeva ejus sub capite meo, et dextera illius amplexabitur me!
7. Adjuro vos Filiae Jerusalem, per capreas, cervosque camporum, ne

vel per cervas agri; ne excitetis, neque expergefaciatis Charam, donec maluerit.

Sponsa. Vox Amici mei!

Chorus virginum. Ecce ipse venit deproperans super montes, exsiliens super colles.

Sponsa. Similis Amicus meus damae, aut hinnulo cervorum.

Ch. *virginum.* En idem stat post parietem nostrum, prospiciens in fenestras, emicans inter claustra.

Sponsa. Locutus est Amicus meus, mihique ait: Surge Sodalis mea, formosa mea, et incede!

Quandoquidem ecce bruma transiit, hiems elapsa, praetergressa est.

Flores visi sunt in terra, tempus minuritionis obtigit, voxque turturis audita est in regione nostra.

Ficus protrusit grossos suos, et vites minutae uvae dederunt odorem: age Sodalis mea, formosa mea, ac incede.

suscitetis, neque evigilare faciatis Dilectam, quo ad usque ipsa velit.

8. Vox Dilecti mei! Ecce iste venit saliens in montibus, transiliens colles.

9. Similis est Dilectus meus capreae, hinnuloque cervorum. En ipse stat post parietem nostrum, respiciens per fenestras, prospiciens per cancellos.

10. En Dilectus meus loquitur mihi: Surge, propera Amica mea, columba mea, formosa mea, et veni.

11. Jam enim hiems transiit, imber abiit, et recessit.

12. Flores apparuerunt in terra nostra, tempus putationis advenit: vox turturis audita est in terra nostra.

13. Ficus protulit grossos suos; vineae florentes dederunt odorem suum: surge Amica mea, speciosa mea, et veni.

SPONSUS. Columba mea in scissuris cautis, in latebra rupis, videndum mihi da aspectum tuum: me sinito audire vocem tuam; quippe tua vox suavis, tuusque aspectus venustus.

SPONSA, et CHORUS. Capite nobis vulpes, vulpeculas corrumpentes vineas.

SPONSUS, SPONSA, et CHORUS. Dum vineae nostrae uva minuta *efflorescunt.*

Revertitur cum suo Puella comitatu in paternam domum: caeteri ab Sponso ad paratas epulas introducuntur.

14. Columba mea in foraminibus petrae, in caverna maceriae, ostende mihi faciem tuam, sonet vox tua in auribus meis; vox enim tua dulcis, et facies tua decora.

15. Capite nobis vulpes parvulas, quae demoliuntur vineas: nam vinea nostra floruit.

ACTUS SECUNDUS

NOCTE SURGENTE; AMANTIUM OFFICIA EXAUDITA.

SCENA PRIMA

Sponsa ante suam domum uno momento temporis clam allocuta Sponsum, prae verecundia dimittit.

SPONSUS, SPONSA

SPONSA. Amicus meus mei *est*, atque ego illius pascentis in liliis.

Donec adoriatur dies, et fugiant umbrae, converte te; assimila te, mi Amice, capreae, vel hinnuleo cervorum in montes Betér*is*.

Amicus abit.

16. Dilectus meus mihi, et ego illi, qui pascitur inter lilia.

17. Donec aspiret dies, et inclinentur umbrae, revertere; similis esto Dilecte mi capreae, hinnuloque cervorum super montes Beter.

SCENA SECUNDA

MONOLOGUS

Sponsa. Super cubili meo noctu quaesivi, quem amavit mea anima; eumdem quaesivi, nec inveni eum.
Surgam nunc, *dixi*, et circuibo per urbem; per plateas, perque fora inquiram, quem amavit anima mea. Hunc exquisivi, necdum reperi illum!
Obvenerunt mihi Custodes circumlustrantes urbem: — Quem amavit anima mea, vidistis? —
Vix praeterieram ab illis, quando inveni, quem deamavit anima mea; cum apprehendi, neque ipsum dimittam, donec introduxero in domum Matris meae, et in conclave meae genitricis.

CAP. III. *Dilectum suum nocte quaerit, eoque reperto Sponsa gratulatur: adjurat Ille Chorum ne somno prolapsam excitent. Nuptialem interea thalamum Salomon describit mire fabrefactum.*

1. In lectulo meo per noctes quaesivi, quem diligit anima mea: quaesivi illum, et non inveni.

2. Surgam, et circuibo civitatem; per vicos, et plateas quaeram, quem diligit anima mea: quaesivi illum, et non inveni!

3. Invenerunt me Vigiles, qui custodiunt civitatem. Num quem diligit anima mea, vidistis?

4. Paululum cum pertransissem eos, inveni quem diligit anima mea; tenui

SCENA TERTIA

Choris gestantibus faces, ut Dilectum quaerant; venit idem obvius, eosque ludibundus affatur.

SPONSUS, SPONSA, CHORI DUO

SPONSUS. Obtestor vos Natae Jerusalem per dorcades, aut per cervas agri, ne suscitetis, neque expergefaciatis Charam donec cupiat.

Puellam inde sibi obviam Pueri, Virginesque adesse deprehendentes succlamant.

CHORI DUO. Quaenam ista prodiens e deserto instar columnarum fumi, suffita myrrha, et thure cum omni pulvere institoris?

eum, nec dimittam, donec introducam illum in domum Matris meae, et in cubiculum genitricis meae.

5. Adjuro vos Filiae Jerusalem per capreas, cervosque camporum, ne suscitetis, neque evigilare faciatis Dilectam, donec ipsa velit.

6. Quae est ista, quae ascendit per desertum, sicut virgula fumi ex aromatibus myrrhae, et thuris, et universi pulveris pigmentarii?

Chorus *puerorum*. Ecce lectum circa istius, nempe Salomonis, sexaginta fortes *circumstant* de fortibus Israël.

Chorus *virginum*. Universi praediti gladio, edocti pugnam; cuique gladius suus super femore suo ob metum in noctibus.

Ch. *puerorum*. Thalamum fecit sibi Rex Salomon de lignis Libani.

Ch. *virginum*. Ejusdem columnas fabricavit argento.

Ch. *puerorum*. Ejus stragulum auro.

Ch. *virginum*. Apsidem ejus purpura.

Chori duo. Interius ipsius constratum Charae prae filiabus Jerusalem.

7. En lectulum Salomonis sexaginta fortes ambiunt ex fortissimis Israël.

8. Omnes tenentes gladios, et ad bella doctissimi; uniuscujusque ensis super femur suum propter timores nocturnos.

9. Ferculum fecit sibi Rex Salomon de lignis Libani.

10. Columnas ejus fecit argenteas, reclinatorium aureum, ascensum purpureum: media charitate constravit propter filias Jerusalem.

SCENA QUARTA

Supervenit Mater Sponsi, desponsatosque coronat; mox nova Nupta in domum Viri excipitur ab istius Parente.

SPONSUS, SPONSA, CHORI DUO

SPONSA. Procedite, et intuemini Puellae Sion*is* Regem Salomonem in diademate, quo eum coronavit Mater sua in die ipsius nuptiarum, atque in die laetitiae cordis ejus.

Introëuntibus cunctis, Sponsus, de more, a suis Pueris alibi traducitur, pro noctis hujus spatio.

11. Egredimini, et videte Filiae Sion Regem Salomonem in diademate, quo coronavit illum Mater sua in die desponsationis illius, et in die laetitiae cordis ejus.

ACTUS TERTIUS

PRIORE DILUCULO: SALUTATIO, OBLATIOQUE CORONARUM.

SCENA PRIMA

Dilectae limina celebrat Amicus, illamque salvere jubet adhuc dormitantem.

MONOLOGUS

SPONSUS. Ecce te pulchram Sodalem meam! te ecce pulchram! Oculi tui *sunt* columbae citra vittam tuam. Capillus tuus ut grex caprarum, quae se depexuerunt in monte Galahad.

Dentes tui tamquam grex tonsarum, quae ascenderunt e lotione, quae omnes gemelliparae *sunt*, quas inter nulla orba.

CAP. IV. *Nova Nupta laudatur pulchra oculis, coma, genis, et cervice. Montes, quibus moratur, commemorat Pastor; Virginemque illibatam, quae cor suum sauciavit, variis tropis exaltat.*

1. Quam pulchra es Amica mea, quam pulchra es! Oculi tui columbarum absque eo, quod intrinsecus latet. Capilli tui sicut greges caprarum, quae ascenderunt de monte Galahad.

2. Dentes tui sicut greges tonsarum, quae ascenderunt de lavacro, omnes gemellis foetibus, et sterilis non est inter eas.

Sicut filum coccini labia tua, tuusque sermo venustus *est.* Ceu fragmen mali granati tempus tuum citra vittam tuam.

Uti turris Davídis collum tuum aedificata cum prominulis; mille clypei suspensi *stant* super ea, omnia scuta fortium.

Duae papillae tuae, velut duo hinnuli gemelli capreae pascentes inter lilia.

SCENA SECUNDA

Respondet Puella reclusa fenestra; januam vero reserare vetabant ejus aevi mores.

SPONSUS, SPONSA

Sponsa. Donec aspiret dies, fugiantque umbrae, vadam ego ad montem myrrhae, atque ad collem thuris.

3. Sicut vitta coccinea labia tua, et eloquium tuum dulce. Sicut fragmen mali punici, ita genae tuae absque eo, quod intrinsecus latet.

4. Sicut turris David collum tuum, quae aedificata est cum propugnaculis; mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium.

5. Duo ubera tua, sicut duo hinnuli capreae gemelli, qui pascuntur in liliis.

6. Donec aspiret dies, et inclinentur umbrae, vadam ad montem myrrhae, et ad collem thuris.

SPONSUS. Tota tu pulchra Sodalis mea, labesque nulla in te.

Mecum in Libanum Sponsa, mecum in Libanum veni: prospicies de vertice Amánae, e cacumine Scenîris, et Chermónis, e lustris leaenarum, de montibus pardorum.

Cor mihi surripuisti soror mea Sponsa, surripuisti cor meum propter unum de oculis tuis, propter unum torquem de tuis cerviculis.

Quam pulchri sunt amores tui, soror mea Sponsa! quanto meliores sunt tui amores prae vino, ac odor tuorum unguentorum prae cunctis aromatibus!

Favo stillabunt labella tua, o Sponsa; mel, et lac infra tuam linguam: et odor tunicarum tuarum, quasi aura Libani.

Hortus conclusus, soror mea Sponsa, scatebra obserata, fons obsignatus!

7. Tota pulchra es Amica mea, et macula non est in te.

8. Veni de Libano Sponsa mea, veni de Libano, veni: coronaberis de capite Amana, de vertice Sanir, et Hermon, de cubilibus leonum, de montibus pardorum.

9. Vulnerasti cor meum soror mea Sponsa, vulnerasti cor meum in uno oculorum tuorum, et in uno crine colli tui.

10. Quam pulchrae sunt mammae tuae, soror mea Sponsa! pulchriora sunt ubera tua vino, et odor unguentorum tuorum super omnia aromata.

11. Favus distillans labia tua, Sponsa; mel et lac sub lingua tua, et odor vestimentorum tuorum sicut odor thuris.

12. Hortus conclusus, soror mea Sponsa, hortus conclusus, fons signatus!

Propagines tuae *erunt* viridarium malorum punicorum cum fructu deliciarum, ligustrorum cum nardis:

Nardi *nempe*, crocique, calami, et cinnami, cum omnibus arboribus thuriferis; myrrhae, atque aloës cum universis capitibus aromatum.

Heu Fons hortorum, latex aquarum vivarum, ac salientium de Libano!

SPONSA. Excitare Borea, et veni Note, perfla meum hortum, fluant hujus aromata.

Secedat Amicus meus in hortum suum, vescaturque fructu deliciarum suarum.

Delitescit Amica venientium clamore audito.

13. Emissiones tuae paradisus malorum punicorum cum pomorum fructibus. Cypri cum nardo.

14. Nardus, et crocus, fistula, et cinnamomum cum universis lignis Libani; myrrha, et aloë cum omnibus primis unguentis.

15. Fons hortorum, puteus aquarum viventium, quae fluunt impetu de Libano.

16. Surge Aquilo, et veni Auster, perfla hortum meum, et fluant aromata illius.

CAP. V. *Narratur quomodo Sponsam noctu Amicus inviserit, et ocyus discesserit, quam Illa januam recluderet. Quem inde quaerens Adolescentula a Vigilibus vapulat, ac peplo spoliatur: adjurat igitur Chorum, ut suas curas nuntient Dilecto, elegantemque illius praedicat formam.*

1. Veniat Dilectus meus in hortum suum, et comedat fructum pomorum

SCENA TERTIA

Venientes Pueri Sponso florum porrigunt corollas, quibus limina exornat; item sua ibi Chorus devovet serta.

SPONSUS, CHORUS PUERORUM

SPONSUS. Veniam *utinam* in hortum meum, soror mea Sponsa, decerpam myrrham meam cum balsamo meo; comedam favum meum cum meo melle, bibam meum vinum lacte cum meo!
Comedite o Socii, bibite; item inebriate vos amoribus.

Abeunt omnes.

suorum. Veni in hortum meum, soror mea Sponsa, messui myrrham meam cum aromatibus meis; comedi favum cum melle meo, bibi vinum meum cum lacte meo. Comedite Amici, et bibite, et inebriamini charissimi.

ACTUS QUARTUS

Mane: mutuae charitatis productio.

SCENA PRIMA

Amicae domo egredientis

MONOLOGUS

Sponsa. Ego dormiens, meumque cor vigil *erat.* Vox *a me audita fuit* Amici mei pulsantis!

Aperi mihi mea soror, mea Sodalis, columba mea, integra mea; nam caput meum plenum fuit rore, cirri mei guttis noctis.

Cui respondi: Exui tunicam meam, quomodo hanc induam? lavi meos pedes, quî ipsos foedabo?

Amicus meus levavit manum suam contra forem, et praecordia mea tumultuata sunt pro illo.

2. Ego dormio, et cor meum vigilat. Vox Dilecti mei pulsantis! Aperi mihi soror mea, Amica mea, columba mea, immaculata mea; quia caput meum plenum est rore, et cincinni mei guttis noctium.

3. Expoliavi me tunica mea quomodo induar illa? lavi pedes meos, quomodo inquinabo illos?

4. Dilectus meus misit manum suam per foramen: et venter meus intremuit ad tactum ejus.

Surrexi ego ad aperiendum Amico meo, manusque meae stillaverunt myrrha, digitique mei myrrha transeunte super capulos serae.

Aperui ego Amico meo, sed Amicus meus divertit, praeteriit. Anima mea liquefacta erat eo loquente!

Hunc percontata sum, neque reperi eum; hunc vocavi, nec respondit mihi.

Obvenerunt mihi Vigiles circumeuntes per urbem, me percusserunt, me vulneraverunt: tulerunt theristrum meum abs me Custodes moeniorum.

5. Surrexi, ut aperirem Dilecto meo: manus meae stillaverunt myrrham; et digiti mei pleni myrrha probatissima.

6. Pessulum ostii mei aperui Dilecto meo, at ille declinaverat, atque transierat. Anima mea liquefacta est, ut locutus est! Quaesivi, et non inveni illum; vocavi, et non respondit mihi.

7. Invenerunt me Custodes, qui circumeunt civitatem, percusserunt me, et vulneraverunt me: tulerunt pallium meum mihi Custodes murorum.

SCENA SECUNDA

Virgines adveniunt canentes Sponsi laudes, et cymbala pulsantes.

SPONSA, CHORUS VIRGINUM

SPONSA. Obtestor vos Puellae Jerusalem; si inveneritis Amicum meum, quid indicabitis ei?
—Quod saucia charitate sum!—

CHORUS VIRGINUM. Quid Amicus tuus prae amico *alio praestat*, o pulcherrima foeminarum? quid Amicus tuus prae amico, ut ita nos obtestareris?

SPONSA. Amicus meus nitidus, et rubicundus, vexillifer inter decem mille.

Caput suum aurum solidum, cincinni sui crispi *sunt*, sublucidi quasi corvi.

8. Adjuro vos Filiae Jerusalem, si inveneritis Dilectum meum, ut nuntietis ei; quia amore langueo.

9. Qualis est Dilectus tuus ex dilecto, o pulcherrima mulierum? qualis est Dilectus tuus ex dilecto, quia sic adjurasti nos?

10. Dilectus meus candidus, et rubicundus, electus ex millibus.

11. Caput ejus aurum optimum; comae ejus sicut elatae palmarum, nigrae quasi corvus.

Oculi sui, columbarum instar ad alveos aquarum, delibuti lacte *sunt*, bene consiti inter orbitam.

Malae ejus ut areola aromatis, *ut* arces pigmentorum: ejus labia lilia distillantia myrrham eximiam.

Suae manus circuli aurei coagmentati beryllo: viscera sua nitor eboris obtecti sapphiris.

Crura sua columnae marmoris fundatae super basibus auri: forma sua tanquam Libanus, electa cedrorum instar.

Suus palatus dulcedines: et totus Idem *exsuperat* desideria.

Iste meus Amicus, isteque Sodalis meus *est*, Puellae Jerusalem.

CHORUS VIRGINUM. Quorsum abiit Amicus tuus, o formosissima mulierum, quorsum attendit Amicus tuus, illumque conquiremus tecum?

12. Oculi ejus sicut columbae super rivulos aquarum, quae lacte sunt lotae, et resident juxta fluenta plenissima.

13. Genae illius sicut areolae aromatum consitae a pigmentariis: labia ejus lilia distillantia myrrham primam.

14. Manus illius tornatiles, aureae, plenae hyacinthis: venter ejus eburneus distinctus sapphiris.

15. Crura illius columnae marmoreae, quae fundatae sunt super bases aureas: species ejus ut Libani, electus ut cedri.

16. Guttur illius suavissimum: et totus desiderabilis. Talis est Dilectus meus; et ipse est Amicus meus, Filiae Jerusalem.

17. Quo abiit Dilectus tuus, o pulcherrima mulierum? quo declinavit Dilectus tuus, et quaeremus eum tecum?

SPONSA. Amicus meus descendit in hortum suum ad areolas aromatis, ad pascendum in hortis, atque ad colligenda lilia.

Ego *sum* Amico meo, necnon Amicus meus mihi *est* pascens in liliis!

SCENA TERTIA

Amicus, Puerique superveniunt coronati, ut Nupturae gratulentur.

SPONSUS, SPONSA, CHORI DUO

SPONSUS. Pulchra es Sodalis mea sicut Tirtsa; venusta ceu Jerosolyma; terrifica uti vexillationes.

CAP. VI. *Sibi gaudet Puella propter Juvenem a quo diligitur. Ille ab amore conjugis vehementer se affici testatur, et cum una hac felicius vivere, quam alter variis redamatus uxoribus. Sponsae ad pomarium descendenti carpentum obvium occurrit.*

1. Dilectus meus descendit in hortum suum ad areolam aromatum, ut pascatur in hortis, et lilia colligat.

2. Ego Dilecto meo; et Dilectus meus mihi, qui pascitur inter lilia.

3. Pulchra es Amica mea, suavis, et decora sicut Jerusalem: terribilis ut castrorum acies ordinata.

Diverte oculos tuos e contra me, quippe isti me ad incitas provocaverunt. Tua *est* caesaries uti grex caprarum, quae se depexuerunt in Galahad.

Dentes tui velut grex ovium, quae ascenderunt e lavacro, quae cunctae gemelliparae *sunt*, et nulla sterilis inter illas.

Instar fragminis punici mali tempus tuum *est* citra vittam tuam.

Sexaginta *licet adfuerint* Reginae, et octoginta Concubinae, virginesque sine num ro.

Una *est* columba mea, integra mea; una haec suae Matri, munda haec genitrici suae.

Chori duo. Admirabuntur istam virgunculae; istamque beatam salutabunt Reginae, et Concubinae; necnon eamdem collaudabunt.

Eadem hinc inde a Choris repetuntur multis vicibus, interea dum cuncti abeunt.

4. Averte oculos tuos a me, quia ipsi me avolare fecerunt: Capilli tui sicut grex caprarum, quae apparuerunt de Galahad.

5. Dentes tui sicut grex ovium, quae ascenderunt de lavacro, omnes gemellis foetibus, et sterilis non est in eis.

6. Sicut cortex mali punici, sic genae tuae absque occultis tuis.

7. Sexaginta sunt Reginae, et octogiuta Concubinae, et adolescentularum non est numerus.

8. Una est columba mea, perfecta mea, una est Matris suae, electa genitrici suae. Viderunt eam filiae; et beatissimam praedicaverunt Reginae, et Concubinae; et laudaverunt eam.

ACTUS QUINTUS

AD VESPERAS: SPONSAE DEDUCTIO, ET REVELATIO.

SCENA PRIMA

Conjugibus, qui peractis sacrificiis eucharisticis in lectica redeunt, comitantes plaudunt Chori.

SPONSUS, SPONSA, CHORI DUO

CHORI DUO. Quaenam isthaec aspectabilis velut crepusculum, pulchra ut Luna, alma tanquam Sol, terrifica ceu vexillationes?

SPONSA. In hortum nucis cum secessissem visum virgulta vallis, visum anne floruerit vitis, germinaverint mala granata: quin cognovissem, animus meus imposuit me super quadrigas Benefici populi mei.

CHORI DUO. Revertere, revertere o Salomonia; redi, redi, teque contueamur.

9. Quae est ista quae progreditur quasi aurora consurgens, pulchra ut Luna, electa ut Sol, terribilis, ut castrorum acies ordinata?

10. Descendi in hortum nucum, ut viderem poma convallium, et inspicerem si floruisset vinea, et germinassent mala punica.

11. Nescivi: anima mea conturbavit me propter quadrigas Haminadab.

12. Revertere, revertere Sulamithis; revertere, revertere, ut intueamur te.

Hinc astantibus Puerorum, et inde Virginum aciebus descendunt e lectica Sponsi.

SPONSUS. Quid tuebimini in Salomonia *Uxore o vos, qui estis* tamquam Chorus agminum duorum?

SCENA SECUNDA

Sub allato a Paranymphis nuptiali conopeo sistunt Conjuges: quos floribus Chori spargunt, subjectasque circumsilientes canunt strophas, et antistrophas.

SPONSUS, SPONSA, CHORI DUO

CHORI DUO. Quam pulchruerunt tui gressus in calceis, o Filia Benefici!

CAP. VII. *Sulamithis, id est Salomonia Uxor veniens describitur. Mox Pastor foemineam ejus pulchritudinem per singulas partes more Orientali commendat. Dilecta Amicum invitat, ut rus ambo petant, ibidem commoraturi.*

1. Quid videbis in Sulamitho, nisi choros castrorum? Quam pulchri sunt gressus tui in calceamentis, Filia Principis! Juncturae femorum tuorum sicut monilia, quae fabricata sunt manu artificis.

Chorus *puerorum*. Ambitus femorum tuorum sicut bullae, *quae sunt* opus manuum artificis *periti*.

Chorus *virginum*. Umbilicus tuus *quasi* crater rotundus, *qui* nunquam indigebit mulso.

Ch. *puerorum*. Tuus venter *est tanquam* acervus triticorum septus liliis.

Ch. *virginum*. Ambo ubera tua sicut duo hinnuli gemelli damae.

Ch. *puerorum*. Collum tuum ceu turris eboris.

Ch. *virginum*. Tui oculi *veluti* piscinae in Chesbóne ad Portam Bat-rabbím.

Ch. *puerorum*. Facies tua tanquam turris Libani speculans ora Damasci.

Ch. *virginum*. Cervix tua super te instar Carmél*i*.

Ch. *puerorum*. Comaque capitis tui velut purpura.

Ch. *virginum*. *Purpura* Regis implexa plicaturis.

Sponsus. Quam pulchruisti, et quam jucunda fuisti o Chara in deliciis!

2. Umbilicus tuus crater tornatilis nunquam indigens poculis. Venter tuus sicut acervus tritici vallatus liliis.

3. Duo ubera tua, sicut duo hinnuli gemelli capreae.

4. Collum tuum sicut turris eburnea. Oculi tui sicut piscinae in Hesebon, quae sunt in Porta Filiae-multitudinis. Nasus tuus sicut turris Libani, quae respicit contra Damascum.

5. Caput tuum ut Carmelus. Et comae capitis tui, sicut purpura Regis vincta canalibus.

6. Quam pulchra es, et quam decora, Charissima in deliciis!

CHORUS *VIRGINUM*. Ipsamet statura tua assimilatur palmae.

CHORUS *PUERORUM*. Papillaeque tuae racemis.

Innuente Amico cessat chorea.

SPONSUS. Dixi; ascendam palmam, atque apprehendam de spathis ejus: et forent quaeso ubera tua sicut racemi vitis, odorque naris tuae pomorum instar.

CHORI DUO. Palatus autem tuus tamquam vinum generosum.

SPONSA. Vadens ad Amicum meum secundum legitima, leniter adrepens inter labia dormientium.

Ego *sum* Amici mei; superque me cupiditas sua!

Eja mi Amice, egrediamur rus, pernoctemus in pagis.

Mane expediemur ad vineas, conspiciemus anne gemmuerit vitis, se exseruerit uva parva; effloruerint mala punica: ibi exhibebo amores meos tibi.

7. Statura tua assimilata est palmae: et ubera tua botris.

8. Dixi ascendam in palmam, et apprehendam fructus ejus, et erunt ubera tua sicut botri vineae, et odor oris tui sicut malorum.

9. Guttur tuum sicut vinum optimum. Dignum Dilecto meo ad potandum, labiisque, et dentibus illius ad ruminandum.

10. Ego Dilecto meo, et ad me conversio ejus!

11. Veni Dilecte mi, egrediamur in agrum, commoremur in villis.

12. Mane surgamus ad vineas; videamus si floruit vinea, si flores fructus parturiunt, si floruerunt mala punica: ibi dabo tibi ubera mea.

Sponsus, et *Chorus puerorum*. Mandragorae exhalaverunt odorem!

Chorus *virginum*. Sed apud fores nostras omnia delicata

Sponsa. Nova, et simul vetera, Amice mi, recondidi tibi.

SCENA TERTIA

Superveniunt Consanguinei, quos inter Sponsi Fraterculus.

SPONSUS, SPONSA, CHORI DUO

Sponsa. Ecquis det te ad instar Fraterculi mihi, sugentis mamillas Parentis meae?

Tibi occurrerem foris, basiarem te: etiam nulli me contemnerent!

13. Mandragorae dederunt odorem. In portis nostris omnia poma: nova, et vetera, Dilecte mi, servavi tibi.

CAP. VIII. *Optat Puella cum suo ubique Marito versari, perinde ac Sorori cum Fratre tenello liceret. Bonos Ei somnos, et amorem adprecante Sponso, Ipsa mutuo ad sempiternam charitatem hortatur. Providetur Sororculae Sponsae. Vineam dotalem Salomoni exhibet: hinc Dilecto suam audire volenti vocem Amica montes petere suadet.*

1. Quis mihi det te Fratrem meum sugentem ubera Matris meae; ut inveniam te foris, et deosculer te, et jam me nemo despiciat?

Ducerem te, te intromitterem in domum meae Matris; docebis me! potarem te vino pigmentato, succo mali mei granati.

Ejus *tunc* laeva sub cervice mea, hujusque dextera me amplexabitur!

Consortem suam suffulciens Conjux vale dicit illius Puellis, domumque ingredi parat.

Sponsus. Vos obtestor Puellae Jerosolymae, nonne suscitabitis, et nonne expergefacietis Charam antequam cupiat?

Mox gradum sistunt Sponsi, visis Affinibus, qui adventant.

Chorus. Quaenam isthaec procedens e deserto adhaerescens super Amico suo?

Sponsa. Sub pomo excitavi te, ibi te enixa est Parens tua, ibi enixa te parturiit.

2. Apprehendam te, et ducam in domum Matris meae; ibi me docebis! et dabo tibi poculum ex vino condito, et mustum malorum granatorum meorum.

3. Laeva ejus sub capite meo; et dextera illius amplexabitur me!

4. Adjuro vos Filiae Jerusalem, ne suscitetis, neque evigilare faciatis Dilectam donec ipsa velit.

5. Quae est ista quae ascendit de deserto deliciis affluens, innixa super Dilectum suum? Sub arbore malo suscitavi te, ibi corrupta est Mater tua, ibi violata est genitrix tua.

Appone me quasi sigillum in corde tuo, veluti signaculum in brachio tuo.

Etenim praepotens uti mors *est* charitas, dirus instar sepulchri zelus: prunae suae prunae ignitae incendio Dei!

Sponsus. Aquae plurimae non valebunt ad extinguendam charitatem, fluvii immo non obruent illam.

Juro ego nisi erogaverit quis universam substantiam domus suae pro *ejusmodi* charitate *sibi comparanda*, contemnendo *caeteri* contemnent illum.

6. Pone me ut signaculum super cor tuum, ut signaculum super brachium tuum: quia fortis est ut mors dilectio, dura sicut infernus aemulatio; lampades ejus lampades ignis, atque flammarum!

7. Aquae multae non potuerunt extinguere charitatem, nec flumina obruent illam! Si dederit homo omnem substantiam domus suae pro dilectione, quasi nihil despiciet eam.

SCENA QUARTA

Venientibus Cognatis omnibus, et Sororcula Sponsae, sese cuncti vicissim complectuntur, et osculantur.

SPONSUS, SPONSA, DUO CHORI

SPONSA, et CHORUS *VIRGINUM*. Soror nobis minor, et ubera nulla ei *sunt;* quid faciemus nostrae Sorori in die, quo sermo fiet de ea *nuptura?*

SPONSUS, et CHORUS *PUERORUM*. Si murus eadem *est*, adstruemus illi palatium argenti; atque si janua *est*, compingemus super ea tabulam cedri.

SPONSA. Ego murus *facta sum*, meaeque papillae turrium instar, ex quo fui coram Hujus oculis inveniens felicitatem!

CHORI DUO. Vinea fuit Salomoni in Bahal-hamóne,

8. Soror nostra parva, et ubera non habet; quid faciemus Sorori nostrae in die quando alloquenda est?

9. Si murus est, aedificabimus super eum propugnacula argentea; si ostium est, compingemus illud tabulis cedrinis.

10. Ego murus, et ubera mea sicut turris, ex quo facta sum coram Eo quasi pacem reperiens.

11. Vinea fuit Pacifico in Ea-quae-habet-populos; tradidit eam custodibus: vir affert pro fructu ejus mille argenteos.

tradidit vineam cultoribus; quisque adduxit pro ejusdem fructu mille *siclos* argenteos.

SPONSA. Mea vinea, mea inquam, *esto* coram me; millenos tibi o Salomon, ac ducentos custodientibus fructum ejus *rependam.*

SPONSUS. Heus habitatrix hortorum, Sociis attendentibus voci tuae, eamdem sine ut obaudiam.

SPONSA. Fugito mi Amice, et assimilator ipse damae, seu hinnulo cervorum per montes aromatum!

CHORI DUO **repetunt plaudentes.** *Fugito mi Amice, et assimilare tu damae, sive hinnulo cervorum per montes aromatum!*

Ingressi omnes nuptiali rite convivio epulantur; optatoque demum connubio Sponsi potiuntur.

12. Vinea mea coram me est: mille tui Pacifici, et ducenti his, qui custodiunt fructus ejus.

13. Quae habitas in hortis, Amici auscultant, fac me audire vocem tuam.

14. Fuge Dilecte mi, et assimilare capreae, hinnuloque cervorum super montes aromatum!

Finis Dramatis.

EPILOGUS

CAPUT I

Ad quaedam Vulgatae Versionis dicta illustrationes brevissimae.

QUANTUM Latina Interpretatio Bibliorum, quae communiter Vulgatae Versionis nomine designatur, prae caeteris omnibus et fidelior sit, et perfectior, atque ad digne referenda Divinorum Scriptorum oracula accommodatissima, res est jam in comperto, luculenterque explorata. Quapropter cum Latinis Graeci simul, caeterique Orientalium Ecclesiarum Fideles Orthodoxi idipsum acriter contestati sunt; sed immo Heterodoxi pene omnes, necnon praecipue ex iis quique Doctissimi, suis tacite in scriptis, et suis in dissertationibus interdum aperte (a) docuerunt. His itaque prae-

(a) Consule Briani Waltoni Biblia Polyglotta Proleg. 10, num. 10, 11, 12, Conradum Pellicanum Praefatione in Versionem, et novum Comment. Psalt. et Praefat. in posterius Comment. Psalterii. Buxtorfium in Vindiciis veritatis Hebraicae part. 1. cap. 8. Ludovicum de Dieu Praef. ad Animadvers. in Evang. Grotium in *Praefatione* ad Annotata in V. Testamentum. Bibliothecam Orient. Johannis Davidis Michaëlis t. 21. n.° 311. et Introductionem ad N. Testam. cap. 7. sect. 30. Quin imo Vulgatae Versionis laudes Lutherus ipse dissimulare nequit in Praefatione ad Commentarium De novissimis verbis David.

monitis ad Vulgatae Versionis vim absolute intelligendam scire non pigeat, quomodo aliquibus in locis sensus Hebraei Textus, et verborum Latinorum debeat conciliari.

Capite Primo versu 2. FRAGRANTIA UNGUENTIS OPTIMIS OLEUM EFFUSUM NOMEN TUUM. *Fragrantia* est ablativus singularis: quasi diceretur supplendo praepositiones subintellectas; *Prae fragrantia ex unguentis optimis sicut oleum effusum est nomen tuum.*

Eodem Capite versu 11. DUM ESSET REX IN ACCUBITO SUO; non *accubitu.* Nam, quemadmodum postulat Hebraica dictio, Accubitum pro *triclinio* usurpatur.

Capite Tertio versu 10. MEDIA CHARITATE CONSTRAVIT. *Media* est casus accusativus pluralis neutro genere: quod significat *medietatem*, vel *partem internam.* Uti Estius admonet.

Capite Quinto versu 2. QUIA CAPUT MEUM PLENUM EST RORE. *Vespertino* videlicet: etsi *ros* Latine vapor sit matutinus. Ait Houbigant.

Ibidem versu 11. COMAE EJUS SICUT ELATAE PALMARUM. *Elătae*, et in numero singulari *elate* penultima brevi Graecum vocabulum est (ἐλάτη), et significat tenerum *folliculum*, *germenve palmarum.* Vide Lexicon.

Capite Septimo versu 4. QUAE SUNT IN PORTA FILIAE-MULTITUDINIS. In Hebraico haec Porta no-

mine proprio appellatur Bat-rabbím; quod utique vocabulum est significativum. Hic propterea Vulgatus Interpres vim significationis retinere volens traduxit *Filiae-multitudinis.*

Capite Octavo versu 11. Vinea fuit Pacifico in Ea-quae-habet-populos: id est *Vinea fuit Salomoni in Bahal-hamóne.* Vulgatus Interpres hic etiam dictiones sigillatim translatas, quam sensus perspicuitatem sequi maluit.

Ibidem versu 12. Mille tui Pacifici. Nomen *Pacifici* est in genitivo casu, in quo pariter est pronomen personale *tui.* Nimirum hoc in loco uti quoque supra, significatio nominis proprii Salomonis Latine fuit translata, perinde ac si *Messias, Natanaël;* et *Heva* Graece vocarentur Χριστὸς, Θεόδοτος, et Ζωή; vel *Baruch* a Latinis appellaretur *Benedictus.*

—— Capite vi. Quid videbis in Sulamithe. In Textu verbum plurali numero conjugatum retinuerunt Chaldaeus Paraphrastes, necnon Versiones reliquae nempe LXXviralis, Syriaca, Aethiopica, et vetus Itala, quae habent *videbitis, spectabitis;* et Arabica *vidistis.* Quare suspicatus fui mendum irrepsisse in Latina Editione pro *videtis,* vel melius *videbitis;* quae dictio in Codicibus Mss. fortasse per abbreviaturam scripta fuerat *videbĩs.*

CAPUT III

Agitur de methodo, quae in hoc libro adoptata est, et de pretio Vulgatae Versionis Latinae.

Adnotationes generaliores, pluresque gravis momenti in antecedenti Dissertatione consulantur: versionem autem notis impedire consulto nolui, et quia repetenda essent, quae praemisisse necesse fuit; et caetera universa ab Auctoribus serviliter colligenda, quod non vacat: studiosiores enim Philo-Hebraei ipsos illos adire et possunt hic curiose citatos, et debent si velint vere proficere.

Neque autem utile fore existimavi post dictiones Hebraicas allegatas, easdem Latinis traducere characthe-ribus: quod sane opus nullum *verum* commodum in pronuntiatione Lectori nescienti Hebraicitatem praestat: sed periculosas contra ambiguitates necessario parit, deficientibus elementis litterarum in Latina, Italica, Germanica, etc. Linguis, quae universam Alphabeti illius potestatem scripto tenus supplere possint.

Praeterea, quamvis Auctoritates originaria Lingua sua in Dissertatione relatas traducere potuissem, ut iis minus provectis consuleretur, qui illos Textus ex tempore bene sibi nequeunt interpretari; etiam ab ejusmo-

di re abstinere satius opinatus fui: nam et pauci prorsus isti sunt, qui *omnium* illarum Linguarum inscii, Hebraicis modo operam dederunt; neque in disputatione hac nostra *optime* explicandi allata testimonia opus habent, ea quippe sufficit ut intelligant. Hi ergo pro hoc incommodo dent veniam libello, qui sane vel in inutilem excrevisset molem, si omnia illa ad superfluitatem usque annecterentur.

Deinceps cur mea versio discrepet in nonnullis a Vulgata ratio danda est ad omnem scrupulum averruncandum. Constat quippe quod Sacrosancta Synodus Tridentina (a) ut « ex omnibus Latinis Editionibus, quae circumferuntur Sacrorum Librorum, quaenam pro Authentica habenda sit, innotescat; statuit, et declara*vit*, ut haec ipsa vetus, et Vulgata Editio.... in expositionibus... pro Authentica habeatur, et ut nemo illam rejicere quovis praetextu audeat ». Constat item nihil omnino reprobasse eorum, quae singulis Universitatibus ut Cathedras haberent Hebraei, Graecique idiomatis a Clemente v (b) sancita, et in Viennensi Concilio Oecumenico restituta fuere. Itaque juxta declarationes Bellarmini (c), Salmeronis (d), Andreae

(a) Sessione 4. De editione, et usu Sacrorum Librorum.

(b) Plura nunc allegands, ne plus aequo Nota haec augescat, Capite sequenti evolvuntur, quod profecto melius dici deberet *Appendix*.

(c) De Verbo Dei lib. 2. capp. 10, 11.

(d) Comment. in Evang. Histor. Tom. 1. Proleg. 3.

Vega (a), ac Genebrardi, et Graveson (b) de mente Concilii eruitur Vulgatum Textum reliquis licet omnibus sinceriorem, et solum Authenticum, neutiquam Hebraico fonti vel Graeco antepositum fuisse a Patribus Tridentinis, qui immo ad hujusmodi Versionem intelligendam studia ista litterarum impense commendaverunt. Simeon de Muis apposite pro re nostra ita (c) loquitur: « Neque vero, inquit, Hebraicae Editioni derogat Sacrosancta Synodus Tridentina Sessione IV, dum Veterem, et Vulgatam Editionem pro Authentica habendam esse decernit: ibi enim Editionem Vulgatam cum aliis Latinis, non cum Hebraica Editione confert ». Et idem Auctor hoc similiter testimonio confirmat Philippi Gamachaei doctoris Sorbonici: neque aliter sentiunt Hottingerus (d), et Augustinus Barbosa (e), et Forerius (f), et Serarius in Prolegomenis Biblicis.

(a) De Justificatione lib. 15. cap. 9. in fine.

(b) Tractatus de S. Scriptura. 1. Part. §. 6.

(c) In Psalmos Commentarius — De Hebraicae Editionis auctoritate.

(d) In Thesauro Philolog. lib. 1. cap. 2. quaest. 4.

(e) Collect. in Concil. Tridentinum Nota 7 ad verba Sessionis IV « Si quis autem libros, etc. » ex Azorio notat « Quod appellatione Vulgatae, et Latinae Editionis non damnantur exemplaria Hebraica, vel Graeca, ex quibus tanquam ex fontibus Latina Editio fluxit, quae quidem retinent suam fidem et auctoritatem ubi incorrupta, et integra fuerint ».

(f) Antiquitatum Pap. tom. 1.

CAPUT IIII

Ad fovendum Hebraicae Linguae studium antiqua Summorum Pontificum providentia narratur.

Ad antecedentis hujus Capitis veluti supplementum utile mihi visum est referre Decreta illa, quae ad Hebraicae Linguae studia promovenda, atque augenda Maximorum dudum Pontificum providentia prolata fuere. Neque enim id recens fuit provisum ab Heterodoxis, ut nonnulli falso opinati sunt; quin imo ejusmodi studia in Catholica perpetuo Ecclesia celebrata sunt, licet interdum plus, minusve florida pro temporum circumstantiis extiterint. Quare Clemens Papa v. post MCCC in Viennensi Concilio solemnem consignavit (a) sanctionem ajens: « Ut igitur peritia Linguarum hujusmodi possit habiliter per instructionis efficaciam obtineri: hoc Sacro approbante Concilio scholas in subscriptarum Linguarum generibus ubicunque Romanam Curiam residere contigerit, necnon in Parisiensi, et Oxoniensi, Bononiensi, et Salamantino Studiis providimus erigendas: statuentes, ut in quolibet locorum ipsorum tenean-

(a) Corpus Juris Canonici: — Clementinarum Libro quinto « de Magistris » titulo 1. cap. 1.

tur viri Catholici sufficientem habentes Hebraicae, Arabicae, et Chaldaeae Linguarum notitiam. Duo videlicet, uniuscujusque Linguae periti, qui scholas regant inibi, et libros de Linguis ipsis in Latinum fideliter transferentes, alios Linguas ipsas solicite doceant, earumque peritiam studiosa in illos instructione transfundant... Quibus equidem in Romana Curia legentibus per Sedem Apostolicam: in Studiis vero Parisiensi per Regem Franciae; in Oxoniensi, Angliae, Scotiae, Hiberniae, ac Vualiae; in Bononiensi per Italiae, in Salamantino per Hispaniae Praelatos, monasteria, capitula, conventus, collegia exempta, et non exempta, et Ecclesiarum Rectores in stipendiis competentibus, et sumptibus volumus provideri; contributionis onera singulis juxta facultatum exigentiam imponendo. Etc. »

Nec minori sedulitate huic Linguarum incremento consuluit Paulus v. a quo inde Decretum, uti sequitur, fuit latum.

« Paulus Episcopus Servus servorum Dei ad perpetuam rei memoriam.

« Felicis recordationis Clementis Papae v Praedecessoris nostri.... vestigiis insistentes... hac nostra perpetuo valitura constitutione sancimus, statuimus, et ordinamus, ut in cujuscunque Ordinis, et Instituti Regularium... Studiis omnibus trium Linguarum hujusmodi Hebraicae videlicet, Graecae, et Latinae; in ma-

joribus vero, ac celebrioribus etiam Arabicae Doctores... qui illas actu, et diligenter doceant, habeantur... Studiis vero locorum, ubi hujusmodi Doctores desunt, cum primum in aliis Studiis, ubi hujusmodi Linguae docebuntur, Scholares tantum profecerint ut docendis aliis idonei sint, de iisdem Scholaribus provideatur. Quod ut citius, et facilius fieri possit, et sperati fructus ex Linguarum hujusmodi studio appareant, omnibus et singulis Regularium Superioribus sub indignationis nostrae poena eadem auctoritate tenore praesentium praecipimus, et mandamus; et si ipsi negligentes fuerint, eorumdem Ordinum Regularium apud Nos, et Sedem Apostolicam Protectoribus injungimus eorum conscientiam desuper onerantes, ut omni cura et sollicitudine quanto ocyus provideant, ut Scholae Linguarum hujusmodi quamprimum instituantur, ac Doctores praedicti deputentur, earumdemque Linguarum lectionibus Scholares assignentur, qui illis sedulam, et assiduam operam navent. Hi vero Scholares, ut alacrius huic studio incumbant, volumus et decernimus, ut in promotione ad Doctoratus gradus, et ad alios sui Ordinis honores, illi caeteris paribus praeferantur, qui in cognitione trium saltem Linguarum profecerint, ita ut ad illas docendas apti sint... Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrorum sanctionis, statuti, ordinationis, praecepti, mandati, injunctionis, onerationis, voluntatis, decreti, et derogationis infrin-

gere, vel ei ausu temerario contraire: si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, et Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romae apud S. Marcum pridie Kalendas Augusti, Incarnationis Dominicae MDCX, Pontificatus nostri anno sexto ».

Quae cum ita se habeant, verbis concludam Docti Viri sic recenter (a) scribentis: « Che la Chiesa Romana studiasse la Bibbia nelle Versioni già fatte infedeli all'originale prima per malizia, e poi per ignoranza dei Cattolici; fu una svergognatissima menzogna. Conciossiacosacchè da S. Girolamo insino a Silvestro de Sacy, e Gian Bernardo de' Rossi alla nostra Religione non è mancato giammai uomini dottissimi negli studî Biblici, e spertissimi delle Lingue, e de' costumi d' Oriente. Anzi negli stessi anni che un frate perfido, ed apostata di Sassonia con tanta jattanza si sforzava di ritornar nella barbarie una parte del mondo civile; la Chiesa aveva un Italiano, un altro frate modestissimo, e di santi costumi, e insieme di così smisurato sapere orientale, che l' Europa non ne ha forse veduto un pari dopo tre secoli di fatiche, e di scoperte. Il Padre Domenicano Sante Pagnini da Lucca, etc. »

(a) Dell' interpetrazione della Sagra Scrittura per via di Geroglifici. Art. 2. — *Estratto dalla* Raccolta religiosa La Scienza, e La Fede —. Pulcherrima illa Dissertatio opus est Viti Fornari, cujus ego gratiosa utor amicitia, egregiamque eruditionem honoris causa commemoro.

CAPUT IV

Operis institutum, Auctorisque mens explicantur.

Iis praemonitis in hac illustratione, prae caeterorum sententia Interpretum Vulgatam versionem sedulo veneratus sum: attamen varia loca omnia, ubi dictiones eaedem Hebraicae occurrentes diversimode in Latino redduntur, constanter consultavi; ut praecisam, et uniformem, quae praeferretur, significationem elicere liceret. In ejusmodi vero labore LXX Interpretes, Sancti Hieronymus, et Augustinus, caeterique Patres; Chaldaea, et Syriaca expositio, Aquila quoque, Symmachus, ac Theodotion, necnon Rabbini profuerunt, quos vocum origines scite saepe declarare non est negandum. Ad rem Augustinus ipse (a) ait: « Unde etiam ego pro meo modulo vestigia sequens Apostolorum, quia et ipsi ex utrisque, id est ex Hebraicis, et ex Septuaginta testimonia prophetica posuerunt, utraque auctoritate utendum putavi; quoniam utraque una, atque divina est ». Qui magnus Doctor (b) alibi ait; « Latinae quidem linguae homines, quos nunc instruendos suscepimus,

(a) Libro 18. de Civ. Dei cap. 44.

(b) De Doctrina Christ. libro 2. cap. 11. §. 16.

duabus aliis ad Scripturarum divinarum cognitionem opus habent Hebraea scilicet, et Graeca; ut ad exemplaria praecedentia recurratur, si quam dubitationem attulerit Latinorum interpretum infinita varietas ».

His auxiliis rectam Textus, ipsiusque Vulgatae intelligentiam, quod unicum mihi munus proposui, planiorem reddere contendo.

Oblatum denique Cantici canticorum discrimen in Scenas, Actusque veluti *conjecturam,* non uti rem certam, Orbi Litterario commendo; cum ab institorum moribus abhorream merces suas ad nauseam usque dilaudantium. Conjecturam tamen hanc probare suaserunt primo verba universa, et singula Cantici, quorum nullum detorsi, sed ea omnia per se exhibitae hypothesi sponte cohaescere: commoverunt imagines ibi repraesentatae, quae Dramatis totius schema, prout perinde adoptavi, non obscure adeo delineant: denique stylus Prophetarum, cui non mediocriter introspiciendo studui, mentem confirmavit. Sed et fretus SS. Patrum sententiis in Sancto ejusmodi Carmine Actus, et Scenas invexi: quod nimirum Dramaticae genus Poëseos bene consideratum neque Mysteriis ibi consignatis illudit, aut derogat; neque est indecorum, Deoque ipso loquente indignum. Testes adsunt prae reliquis SS. Augustinus, Gregorius, Chrysostomus, et Basilius, cujus dicta antea sunt relata: ipsi autem asserunt universi Canticum vere esse Drama. Necessaria igitur illatione

ejus partes Dramatis, proprio nempe nomine vocavi Actus, et Scenas; quin imo solerter eas investigando, tantisque tuto sub Auctoribus assignando operam dedi.

Praeterea supra asserta in prolegomenis Bossueti sententia nulla ex parte propositis hoc in Libro conjecturae, et interpretationi officit: ipse enim accurate Canticum perlegens successionem dierum ex dictionibus occurrentibus probabiliter eruit, et Israëliticis nubendi moribus accomodat; sed profecto nunquam negat esse Drama. Nae haec investigatio circa historicos eventus in Cantico adumbratos, secundaria mihi potius esse videtur, non primaria; namque licet in quolibet Dramate certa continuo rerum factarum, vel faciendarum delineatio historiae legibus respondeat: illud tamen est in primis attendendum, quo nempe ordine *Fabula* intexatur, et qua *Personae* voluntate conveniant, necnon

« Aetatis cujusque notandi sunt mores », etc.,

ut Magister in Arte sua praecipue observavit. Conferantur proinde aliqua etiam in Dissertatione (a) consulto disputata. Age vero cum ego reperissem Scenas uno vel altero Choro, vel utrisque distinctas, Scenasque sine Choris, et Soliloquia Personae unius: cumque locus quoque actionis ejus Dramaticae rure fieri clarius luce pateat: his evidentissimis indiciis non historicam

(a) Secundae Partis Cap. XI in fine, etiam Cap. III.

dierum successionem, cui forte divinus allusit Salomon; sed physicam *Actionis* exsequutionem, ordinemque per suas *veras partes*, Actus nempe, Scenasque distribui. Quod si benigniores ego sortiri videar Lectores, non simplicem conjecturam, sed sententiam indiciis sufficientibus Archaeologicis comprobatam eam appellarim. Veritas facto ipso loquitur cuique homini, qui perpendere velit loca citata.

Revera Genebrardus (a), cui consentit Coccejus (b) ait: « Quae omnia utcunque respondent Choris Euripidis, et Aristophanis, et distribui possunt in certas narrationes, et quasi Actus. Primus Actus usque ad initium Tertii Capitis; ubi nova incipit confabulatio, et quasi narratio. Secundus usque ad secundum versum Quinti Capitis. *Ego dormio, et cor meum vigilat!* Tertius illinc protenditur ad usque undecimum versum Sexti. Postremus inde ad finem: ut ex Rabbino Anonymo intelligitur ».

Ego tamen quinque Actus vere inveni. Quod si proprio me fallente judicio a vero aberraverim, Lector libere judicabit: sed distinctionem retineat Interlocutorum, quae certo certius investigata est, atque cuilibet erit utilissima; sin minus, aequi, bonique consulat, prout lubet.

(a) Ad Cant. cap. 1.

(b) Cogitat. ad Cant. cap. 1.

Nihil enim scire praeter JESUM CHRISTUM CRUCIFIXUM cum Apostolo desiderans, praesentem opellam, me quoque docilem S. Catholicae Ecclesiae placitis, Petrique Cathedrae falli nesciis perpetuo subjici testor.

FINIS.

לא לנו יהוה לא לנו כי לשמך תן כבוד
על חסדך על אמתך

PSALMO CXV.

CONSPECTUS OPERIS

IN CANTICUM CANTICORUM

DISSERTATIO

PARS PRIMA

CANTICI AUCTOR, ET OCCASIO, QUA CONSCRIPTUM ID FUIT, INQUIRUNTUR.

PARS SECUNDA

DE CANTICO AN SIT POËTICUS LIBER, AC PROPHETICUS, DEQUE SUA OECONOMIA.

PARS TERTIA

CANTICI OSORES HAERETICI: OBJECTIONES ALIQUOT: ET BONI MALIQUE INTERPRETES RECENSENTUR.

CANTICI TRANSLATIO LITTERALIS

Notatis ubique interlocutoribus.

EPILOGUS

A. M. D. G.

FINIS.

PRESIDENZA

DELLA REGIA UNIVERSITA' DEGLI STUDJ

E DELLA GIUNTA DI PUBBLICA ISTRUZIONE

Napoli li 25 Novembre 1845.

Ripartimento, Carico N.° 37.

SIGNORE — La prego di rivedere l'Opera, che ha per titolo *CANTICI CANTICORUM illustratio, ac translatio de Hebraica littera in Latinam, notatis ubique Dramatis Interlocutoribus, cumque Dissertatione Archaeologica, et Exegetica AUGUSTINO CASAZZA auctore.*

Quindi si compiacerà farmi conoscere, se vi si contenga alcun che di lesivo alla Religione, od alla Sovranità.

Il Consultore Presidente
A. SELEUCIA

All' Illus.^{mo}, e Rev.^{mo} Signor Canonico
D. ANDREA FERRIGNI R. Revisore

Si può permettere, che si stampi — *Ferrigni.*

PRESIDENZA

DELLA REGIA UNIVERSITA' DEGLI STUDJ

E DELLA GIUNTA DI PUBBLICA ISTRUZIONE

Napoli li 16 Dicembre 1845.

Vista la dimanda di Raffaele Marotta, direttore della Tipografia del Fibreno, il quale desidera di stampare l'opera intitolata *CANTICI CANTICORUM illustratio, ac translatio de Hebraica littera in Latinam, notatis ubique Dramatis Interlocutoribus, cumque Dissertatione Archaeologica, et Exegetica AUGUSTINO CASAZZA auctore.*

Visto il favorevole parere del Regio Revisore Signor Canonico D. ANDREA FERRIGNI.

Si permette che la suindicata Opera si stampi, però non si pubblichi senza un secondo permesso, che non si darà; se prima lo stesso Regio Revisore non avrà attestato di aver riconosciuto nel confronto esser la impressione uniforme all' originale approvato.

Il Consultore Presidente
A. SELEUCIA

Il Seg. Generale Membro della Giunta
GASPARE SELVAGGI